Coll

PUJATI, G.A.

DECAS
RARIORUM MEDICARUM
OBSERVATIONUM

Theoreticis, Practicisque Animadversionibus illustratarum.

HISCE

Præposita est Præfationis loco Dissertatio de peculiaribus, & rarioribus Observationibus in Praxi Medica conscribendis, & de Methodo eas conscribendi.

ACCESSIT ITEM EPISTOLA

ad Virum Illustrissimum, Doctissimumque

JOANNEM FREIND

DE VERA HIPPOCRATIS DOCTRINA

circà Venæ Sectionem, & Catharsim in febribus,

NEC NON DISQUISITIO

De hydrargiri interno usu.

VENETIIS, MDCCXXXVII.
Apud Sebastianum Coleti
SUPERIORUM PERMISSU.

Illustrissimis, Amplissimisque Viris

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNI,

ET ALESSANDRO KNIPS MACCOPPE

In Patavino Archylicæo

Primo quidem Primario Anatomes Professori & Præsidi; Alteri vero Praxeos Primario Professori; in Medicina addiscenda Præceptoribus quondam suis usque ad cineres colendis

JOSEPH ANTONIUS PUJATI

Sacilensis Portus Naonis Medicus

S. P. D.



Ametsi is non essem, Præceptores meritissimi, qui vobis plura debeam, quàm possim velle debere, ut propterea publicum

aliquod grati mei erga vos animi testimonium exhibere æquissimum ducam; nihilominus ob alias, & quidem potissimas causas, nugæ istæ meæ, quas nunc in lucem profero, Nomini vestro commodissime nuncuparentur. Cum enim ea sit vestri nominis Celebritas, ea auctoritas, ea in Jatricis rebus scientia: ut, tu quidem, Joannes Baptista, Anatomicorum Princeps; tu vero Alexander, Praxeos Dictator, & habeamini, & sitis; honestissime ille, ac pro meritis vestris fecerit, insuperque sibi scite consuluerit qui Medicas suas lucubrationes Nomini vestro, vestro Patrocinio devoverit. Magnatum favor scriptorem bonis cumulare potest, sed approbare non potest, nisi forte fortuna ex iis fuerint, qui de rebus scriptis æquum ferre possint judicium. At favor vester, Amplissimi viri, is est; ut,

quem

quem vos illo dignemini, omnium Doctorum Virorum ſe munierit ſuffragiis; atque à Sciolorum cenſuris, & Scommatibus; ab eorum dicteriis, qui judicium ſuum, etiam de rebus à ſe non intellectis interponere volunt (quorum haud ſane eſt infrequens numerus) prudentiſſimè, & feliciſſime ſibi caverit. Cui etenim non probabitur, quem vos, duo apud noſtrates Scientiæ Medicæ Columina, probaveritis? Aſt, non ob meam utilitatem, quæ incerta eſt (nihili enim forte ſunt, quæ nunc à me traduntur, neque vos æquiſſimi rerum æſtimatores, niſi promerentem approbare ſcitis) ſcriptis hiſce meis nomen veſtrum præfixi: Quod, ut hoc facerem me impulit, eſt id, quod vobis debeo, quodque volo debere maxime. Manet alta mente repoſitum, gratiſſimaque quotidie memoria recolo, colamque dun

spiritus hos reget artus, summum beneficium per vos acceptum, mea nempè in rebus Medicis Institutio, per quam factum est, ut non omnino lapis super lapidem sedeam. Neque summæ illius humanitatis, comitatisque vestræ obliviscor, aut oblivisci potero, qua me, & dum Præceptis, Institutisque vestris operam dabam, & postquam etiam ex Ephæbis excessi, amplecti dignati estis. Illa quoque cordi meo penitissime inhærent, Celeberrime Alexander, quæ pro mea valetudine, modo equidem Deum favore, satis prospera, & valida, annis vero superioribus, haud satis firma, maxima benignitate, summa benevolentia, ac veluti Paterno amore mihi innuisti. Igitur gratitudinis meæ arrabonem, Observantiæque in vos meæ pignus, leviusculum sane, sed majore, qua possum devotione instructum,

ctum, nunc vobis exhibeo, dum Commentatiunculas hasce vobis sisto. Quin eas vestro oculatissimo judicio lubens subijcio, ita enim vestri Observantissimum Discipulum decet, sicque vobiscum agere par est, quos summum ingenium, peracre judicium, haud interruptum, neque vulgare in rebus Medicis ab usque acerbiore juventa studium; longa tandem exercitatio, atque Observatio, ad amplissima illa, summique honoris loca, ad gravissima, quæ sustinetis munera, quæque Personis vestris, vestris studiis, scientia vestra majora facitis, haud ita quidem evexere. Mea hæc igitur, quæcumque ea sint, lubenti animo, pro humanitate vestra, excipere ne dedignemini, dum ipse Hygæamque, Panacæamque oro, atque obtestor, ut ad Coi Senis, cujus in medendo peritiam, prudentiamque., nedum

dum

dum imitamini, ſed uſu veſtram feciſtis, longævam ætatem perveniatis. Valete, meque veſtri Amantiſſimum Diſcipulum redamate.

Dabam è Portu Naonis

Kalend. Octob. MDCCXXXVII.

INDEX
DISSERTATIONUM, ET OBSERVATIONUM.

ductus

NOI REFORMATORI

dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, Approbatione del P. F. Tomaso Gennari Inquisitore nel Libro intitolato *Decas Rariorum Medicarum Observationum Theoreticis &c. Accessit item Epistola ad Virum Illust. Doctissimumque Joannem Freind de vera Hipocratis Doctrina, nec non Disquisitio de Hidrargiri interno usu &c.* non v' esser cos' alcuna contro le Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni Costumi, concedemo Licenza a Sebastiano Coletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. X. Settembre 1736.

(Michiel Morosini Kav. Ref.
(
(Pietro Grimani Kav. e Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segretario.

Omnia

Omnia ab experimento hominibus fieri consuevere (Herodot. in Polyhymnia

Quare experientia penè simile quid scientiæ, ac arti videtur . Per experientiam autem ars , & scientia hominibus efficitur : Experientia enim , ut recte ait Polus , artem effecit , inexperientia vero , fortunam (Aristotel. Methaphysic. 1. c. 1.

DE

DE PECULIARIBUS,

Et rarioribus Obſervationibus in Praxi Medica conſcribendis, & de Methodo eas conſcribendi.

DISSERTATIO.



Uamvis certum ſit ſalutarem medendi Profeſſionem ejuſmodi eſſe, quæ ratione deſtituta manca, & clauda futura ſit, ut propterea Galenus (*a*) eam bipedi animali aptiſſimè compararit; nihilominus certiſſimum eſt, eam Obſervationi ſolummodo ortum ſuum debere, paucarumque herbarum ſcientiam a principio extitiſſe. Cumque Naturæ ordini conſonum ſit per eadem res creſcere, per quæ ortum habuerunt; factum eſt, ut non minus exordia, quam incrementa ex Obſervatione eorum, quæ hominibus, ſive proſpera, ſive adverſa valetudine utentibus, accidere ſolent, potiſſimum ars noſtra cæperit. Hujuſce rei luculentiſſimum ſpecimen habemus in quam elegantiſſimo inter cætera ejus opera, Hippocratis libro de Vetere Medicina, in quo quomodo diætetica Medicinæ pars per Obſervationes in artem redacta ſit, Magnus Medicinę

(*a*) apud Tozzi T. 1. De exper. ratio. analogis.

Parens patefacit. Haud equidem contendo, ordinem illum medendi, per quem non raro in arte majora præstantur, quemque methodum appellamus, experimentis solummodo, non rationi inniti, ut Themisonis Discipuli male, Celso (*a*) teste autumabant. Cum, ut ex omnium Medicorum, tum maxime Methodicorum Principe Hippocrate (*b*) cui, & Galenus (*c*) occinit, sciam, Medenti, & communia, & particularia (quæ res sine ratione haud perfici potest) esse consideranda. Verum, quoniam post Observationes ratio inventa est; Methodicis Medicis (cum methodicos dico, maximè rationales intelligo) Observationi in medicina primas deberi, confitendum est.

II. Et sane hospes admodum in Neotericorum Medicina ille esset, qui clarissimum illum splendorem, quo hodie Iatricam artem exornatam videmus, rationi potius, quam observationi deberi contenderet. Etenim, non minus ea Physices pars, a qua Medicus incipit, Physiologiamque vocamus, quam altera, quæ ægris auxiliatur; si quædam minus incerta, rationi magis consona, magisque utilia, nostris hisce temporibus, quam superioribus Sæculis habeant, ea observationi primum, & potissime referenda sunt. Unde enim universæ

(*a*) In Præf.
(*b*) Epid. I. Sect. 3.
(*c*) 9. Method. 8.

verſæ Medicinæ præcipuum lumen Anatomes; ſine qua (quidquid Empirici contra blaterent) Hippocrate (*a*) teſte, cæteriſque ſanioribus medentibus ſucclamantibus, manca tota ars eſſe debet, incrementa ſplendidiora accepit, niſi ab aſſidua Proſectorum obſervatione? Mirabile illud, utiliſſimumque circulationis inventum, haud rationis, ſed ſenſus opus eſt, quod nunquam Medico Orbi Immortalis HarWejus revelaſſet, niſi ingeniorum Phænix Sarpius in venis valvulas obſervaſſet. An ſanguinis natura, & conſtitutio: an partium Sanguinem conſtituentium ad invicem proportio: an ſemen, urina, ſaliva, lympha, nobis quid ſint innoteſcerent niſi LeWenoechius, Boylius, Guglielminus, Bellinus, Baglivus, hæc, quæ ſuperioribus Sæculis delituerant, obſervationis ope, quaſi e Democriti puteo, nobis noſtriſque commodis eruiſſent? Ex eodem Fonte promanant morborum hiſtoriæ, ſucceſſiones, exitus, quæ ſecundum Hippocratem, Aretæum, Aurelianum, Lommium, Piſonum, Sydenhamium, Liſterum, jure celeberrimos reddidere. Hinc plures abditiſſimæ, neque antea excogitatæ morborum cauſæ in lucem ſe prodiderunt, unde Boneto Sepulcretum immortale peperit nomen. Eadem Obſervationum vis, vomitum cientia Medicamina (clavam nempè difficiliorum morborum tum acu-

(*a*) de veter. Medicin. tex. 39.

torum, cum maximè Chronicorum domitricem) opiumque ægrorum solamen, Medicorumque auxilium, quæ ob Galenistarum argutias e Praxi ferè exulaverant, in usum revocavit: Hæc potentissimum, tutissimumque, si quis eo uti sciat, remedium, familiarem vel puerulis Mercurium fecit: Hæc celebrioribus licet Practicis reclamantibus, divinum corticem e Peruvia nobis advectum, supra cætera jactata febrifuga, ad fastigium evexit: Hæc verbo, omnium simplicium Medicaminum virtutes detexit, quibus, si officinalia composita opponas, paucis exceptis longo usu probatis antidotis, in primis, ut Plinii (*a*) verbis utar, *naturam esse* apparebit: in secundis, conjecturam sæpius fallacem, *nulli satis custodita in mixturis concordia Naturæ, & repugnantia*. Forte Pyrophili remedia e furnis petita nobis obtrudent, quibus artem locupletatam esse glorientur? Chemiæ equidem magna laus a Philosophis, & Medentibus debetur, quæ composita reservando, vel e venenis præstantissima pharmaca nobis exhibuit. At præterquamquod plurima e Chymico penu petita, non tam effectu pollent, quam titulo clara sunt, dicam; hæc, si probata, id ab observatione solummodo præstitum; casu vero, & tentando solummodo inventa. Quo etenim fundamento hypotheses a furnis petitæ, atque a paucis forna-

cum

(*a*) H. N. l. 22. c. 23.

cum experimentis deducta Philosophia, eaque paucis admodum adaptanda, & majorem partem phantastica, morborum Praxi aptare remedia poterat? Non igitur dicta Medicamina ingenii ratiocinantis effectus, sed casus, atque tentaminis; quapropter superioribus annis, cum nondum Chemia eam, quam hodie merito obtinet famam, nacta esset, a Spargiricis, quasi ab Agyrtis, & Empiricis, neque id injuriè, cavebatur.

III. Quæ a me hucusque adducta sunt, eo spectant, ut quoniam potiora incrementa ab Observatis duxit ars nostra, tandem aliquando statuatur, quod hisce maximè incumbere debeant sacris illius Mysteriis initiati; ut Artium utilissima, & nobilissima, *quæ dedit una Deum*, in humani generis commodum, ad majora quoad fieri potest incrementa semper evehatur. Nondum Magni Hippocratis oracula expleta sunt, qui quasi Deo afflatus, protulit, plurima adhuc in arte latere, plurimaque esse invenienda (*a*). Etenim quantumvis hodierna Medicina, haud pauca jactet se scire præ illis, quæ norant antiqui; nihilominus ingenuè fatendum est, exigua, & forte leviora esse, quæ scimus, plurima vero, & potiora, quæ nos adhuc latent. At quemadmodum Observationes in apricum ea protulere, quæ antiquis prorsus incognita fuerunt; ita fieri non

(*a*) De veter. Medic. tex. 3.

non poterit, quin ætas, uſus, ſemper aliquid novi adportent, ſi Æſculapii filii hiſce incumbere non deſiſtant, eaque ſedulo veſtigia premant, quæ majores noſtros noſtrique ævi Clariſſimos homines, ad pulcherrima detegenda quaſi manuduxerunt.

IV. Hiſce itaque permotus, & Medici ſecundum Hippocratem ſolidiſſimi Aretæi, auctoritate compulſus, qui neceſſe eſſe docuit (*a*) *juvenem medicum ſuo marte aliqua ſibi comparare, neque omnia ex alienis Commentariis depromere*; ab eo uſque tempore, quo primum Medicinæ faciendæ animum appuli, accuratiſſimæ, quantum potui, obſervationi, me addixi, Ægrorumque non paucas hiſtorias Adverſariis conſignavi, ut hac via aliquando me quoque poſſem tollere humo. Ex adnotatis igitur, cum exercitii gratia rariora quædam animadverſiunculis, ut mihi quidem viſum eſt, illuſtraſſem; in eam veni ſententiam, quod ſi illa in lucem emitterem, unica fidelia, ut dicitur, binos dealbare poſſem parietes. Nempè, quòd ipſe quoque in Medicum Phyſicum aliquid mei conferrem, nec non Medicorum judicia experirer.

V. At hic quiſquam reponet, quæ a me modo traduntur ea quidem eſſe quæ a Medicorum trutina penſitata, me inſipientiæ meæ cer-

(*a*) De curat. acut. l. 2. c. 11.

certiorem reddere possint; non autem, illiusmodi, quæ Medicum penum exaugeant, summæque aliquid addant. Cum ex judicio Celeberrimi Observatoris Sydenhamii casus oppidò rari ad morborum historiam propriè non pertineant, observationesque particulares, non magnam Arti Medicæ afferant (*a*) utilitatem.

VI. Hujusce Clarissimi viri auctoritas, quem in Praxi Medica teretem totum, atque rotundum semper existimavi, tanti a me sit; ut rationibus, quas contra adducere posse mihi videor, renuntiassem, atque ab incæpto destitissem, nisi Magnorum virorum exempla animos addidissent; qui cùm contra, ac Sydenhamius sensit se gesserint, suspicioni locum reliquerunt, an non, viro licet Insigni, aliquid humanitus contigerit; proindeque illa quæ ab eo in sui optimi operis Præfatione traduntur, minimè ex Apollinis Tripode prolata esse putandum sit, ut quasi æternæ veritatis suprà quodcumque examen posita videantur. Contrà enim credidisse Magnum Hippocratem Dictatorem nostrum certissimum est, qui non solùm peculiares observationes descripsit, & rariora non semel notavit, sed expresse præcepit id Medicis curæ esse debere ad artem perfectè assequendam, ut peculiaribus Observationibus adnotandis incumbant: *Sint & in memoria*

(*a*) In Præfat.

moria tibi morborum curationes, & harum modi quotupliciter, & quomodo: hoc enim principium est in Medicina, & medicum, & finis (*a*). Celsus quoque, qui Latini Hippocratis nomen jure sibi promeruit, a peculiaribus Observationibus utilitatem Medicinæ accessuram putavit, cùm de sanguine utero gerentibus extrahendo scriptum reliquit (*b*): *Sibi antiqui persuaserant, mulierem utero gerentem secta vena abortum facere: Posteà verò usus ostendit nihil ex his esse perpetuum, aliasque potius Observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat.*

VII. Porrò peculiares historias Hippocratem descripsisse, ex libris Epidemiorum cuicumque etiam non Medico constare potest. Quòd verò rarioribus etiam Observationibus ad posteros transmittendis studuerit, satis probant bini casus sexto Epidemiorum ex parvá Tabula descripti: Primus quidem Phaetusæ Pitheæ uxoris in Abderis, quæ ob exulem virum in mærorem prolapsa, post suppressos menses, undè rubores, & dolores ad articulos exorti sunt, hirsuta evasit, barbam produxit, virilemque sumpsit vocem, & habitudinem: Alter verò Namysiæ Gorgippi uxoris in Thaso, cui eadem contigere. Probant id item bini alteri casus ab eodem recitati, Autonomi

(*a*) nem.

(*a*) De Decent. ornát. tex. 8.
(*b*) l. 2. c. 10.

(*a*) nempè in Omilo, & Eumeli Lariſſæi (*b*); primus quorum, cùm in medio capitis, ac ſincipitis ulcus haberet, ad manus utraſque convulſionibus tentabatur (cognorat enim ante noſtra tempora Hippocrates in cerebro læſo in ſubjectis partibus parti læſæ appoſitis vitia manifeſtari;) alter verò cum rigidas haberet manus, & crura, caputque ad lapidem cadendo alliſiſſet, ſanus a rigiditate ſurrexit. Quæ res menti meæ Clementis VI. literatiſſimi Pontificis hiſtoriam obijcit, cui Petrarca teſte (*c*) feliciſſimam memoriam ictus ingens capitis, quem in ſupremo vertice acceperat, conciliarat. Id probat Obſervatio uxoris coriarii jam vetulæ, bis, poſtquam menſes deſiiſſent, concipientis (*d*); probatque rarior lapidis hiſtoria, uſque a prima juventa in utero geſtati, coitus tempore dolorem inferentis, conceptionemque impedientis; quo tandem ſenio appellente excreto, mulier ſana fiebat (*e*). Verum, ut ab Hippocrate ad alios deſcendamus; an putandum eſt Practicum inter recutitos Celeberrimum Zacutum, nihil ad artis utilitatem ſpectare credidiſſe hiſtorias medicas admirabiles, quas conſcripſit? An ad pom-

(*a*) Epid. 5. tex. 14.
(*b*) Ibid. tex. 12.
(*c*) Apud Graveſonum Hiſtor. Eccleſ. T. 2. colloq. 2.
(*d*) 2. Epid. Sect. 2.
(*e*) 5. Epid. tex. 12.

pompam solummodò vir in arte consumatissimus Nicolaus Tulpius memorabilia Petro Filio scripsit? An viri illi Doctissimi, qui Boneto materiem suæ Septentrionalis Medicinæ conficiendæ subministrarunt, nihil opis Medicinæ attulere rarioribus, quæ ibi visuntur, Observationibus? An rariora, quæ Accademiæ Leopoldinæ Curiosi Socii tradiderunt (figmentis tamen rejectis): an quæ Parisienses Accademici scriptis consignarunt: an quæ in Anglicanis transactionibus locum habuerunt, Theoriam, Historiam morborum, Methodum, Praxim, ut de materie medica sileam, non locupletarunt? Medius fidius, quod si ita factum non fuisset, circa plurima eadem obrueremur caligine, qua cæcutiebant Majores nostri. Quod si de peculiaribus, sed obviis observationibus sermo quoque instituendus est; præsto sunt post Hippocratem plerique ex illis, qui Praxim tradiderunt. E quibus aliquos ut commemorem, qui id ex instituto fecerunt; præsto sunt Lusitanorum utrique, utrique Bartholinorum, Forestus, Schenchius, Platerus, Hildanus, Scultetus, Riverius, Jacozius, ut plerosque alios ommittam; quorum, ut observata licet particularia, Medicum penum copiosa utilissimaque supellectile auxerunt; ita nomen, & auctoritas cuicumque, qui peculiaribus Observationibus conscribendis incumbat, patrocinio semper erit.

VIII. Ve-

VIII. Verum enim verò, qui hanc Provinciam ſuſcipiunt, & ſuſcipient poſthac, haud egent Magnorum virorum exemplo, & auctoritate tutari quæ fecerint; cum (aut admodum judicando fallor) ab illis ſtet ratio, qua velit nolit Sydenhamius, confiteatur neceſse eſt, & peculiares, & rariores Obſervationes, haud exiguum, ſed maximum emolumentum arti Medicæ conferre. Quod, ut de peculiaribus, ſed obviis primo demonſtrem: averem ſcire a Sydenhamio, quibus principiis fretus ſuas generales obſervationes utiliſſimas conſcripſerit. Haud equidem ab ulla hypotheſi illæ promanant, ſed ab iis, quæ in ægris ſuis obſervavit. Et ſane, ſi quis naturalem hiſtoriam, qualis eſt hiſtoria morborum, eodem Sydenhamio docente, conſcribere velit; haud alia via incedere bene poterit, Verulamio (*a*) optimo auctore, quam per inductionem, per peculiares nempe Obſervationes. Qui igitur fieri poteſt, ut iſtæ Medicæ facultati emolumentum non afferant, ſi abſque illis, morborum hiſtoriis, ſine quibus nulla eſſet Medicina, careremus? Ponamus etenim, quod morbus ingruat (ingruunt autem ignoti morbi, Celſo (*b*) experientia, eodemque Sydenhamio teſtibus) hærebit certe Medicus in eo curando, donec poſt plures habitas ob- ſer-

(*a*) Vid. novum Organ.
(*b*) In Præfat.

ſervationes, illius naturam, hiſtoriamque di-dicerit. Verum, ad quid generales obſervationes tradidit Sydenhamius? Quia illi conſtitit, non undequaque perfectam conſtare morborum hiſtoriam, ſed hypotheſeon figmentis haud raro conſperſam. Unde vero id illi conſtitit, niſi a ſuis peculiaribus obſervationibus, quas de morbis male deſcriptis vir vere Lynceus habuit? Ipſe fatetur ingenue, quod ſi quando novam febrim curare aggrederetur, vix facere poterat quin aliquos e primis ægris orco traderet; Non igitur ſe aliquid contra morbos valuiſſe confitetur, cum experimenta per mortes habita, peculiares, nempe, obſervationes naturam morbi, methodumque illius curandi illum edocuerant? Idem auctor (ejus verbis utor) *juvenili, atque hominis inexperti fiducia fretus* (*a*) ſibi plaudebat de remedio ſpecifico contra hydropes invento. Sed peculiaris obſervatio illum ſententiam mutare coegit, quam ſi non adnotaſſet, illud certo certius futurum fuiſſet, ut præconceptæ opinioni uſque parens plures alios aqua intercute laborantes male mulctaſſet.

IX. Sed quoniam ad utilitatem, quam in uno remedio adminiſtrando peculiaris obſervatio attulit, oratio progreſſa eſt; hic paululùm ſe ſiſtat, ut quæ huic argumento inſer-

(*a*) Tractat. de hydrop.

ſervientia mihi nunc veniunt in mentem; brevitate qua potero, ediſſeram. In Pharmaceuticis præſidiis adminiſtrandis, tunc ſecurior dubio procul incedit Medicus, cùm illa peculiariter præſcribit, quæ uſus repetitus illi maxime comprobavit, non vero cum e materie Medica quam callet, novas ex tempore concinnat remediorum formulas. Propterea fit, ut omnes Practici quædam habeant, ac veluti in loculis ſibi ſervent, quibus etiam contra difficiliores morbos ſe aliquid valere putant, certaque ſpe freti, cæteris poſthabitis, iis, ſi quando res urgeat, neque ſucceſſu fallente ut plurimùm utantur. Nemo hercle inficias iverit, quod iſtæ commoditates a peculiaribus obſervationibus Medicis non accedant: hincque factum eſt, ut plurima pharmaca nominis celebritatem nacta ſint. Sed quamvis certo ſciam, haud ſane pauca e celebrioribus, quæ circumferuntur titulo tenus ſpecioſa eſſe, ob eam, quæ non minus ac faciles promiſſiones Medicorum vitium eſt, ſe ſe jactandi, oſque cæteris ſublinendi intemperiem, quæ inter cæteros, Pyrophilos maxime tangit; nihilominus certum eſt, haud pauca eſſe in Medicina præſidia, quæ, ut jure optimo ſuis auctoribus famam nomenque auxerunt, ſic a nobis apprime utilia experiuntur. Hiſce vero, certe res Medica non creviſſet, niſi de iiſdem peculiares obſervationes

tiones ab Auctoribus adnotatæ fuissent. Quin cùm de iisdem ab aliis repetita experimenta sæpe responderint, & respondeant, maxima cum animi fiducia, nec successu fallente illis utimur. Ex hisce non omnino pauca commemorare hic possem, nisi quorumdam peculiaris recordatio, iis, quorum mentio non fit, notam aliquam inureret, ac proinde aliquis putaret ea in censu eorum a me reponi, de quibus sermo paulo ante habitus est. At tamen (quod in casu absque invidiæ conflatione asserere posse mihi videor) dicam, me quotidie in Praxi aliquibus Sydenhamii remediis optimo cum successu præ cæteris uti, quæ, per quamdam forte analogiam ab optimo viro inventa sunt; sed peculiaribus observationibus præeuntibus de eorum facultate certior redditus est, ut ea posteris tanquam probata & valida medicamina obtulerit. Sunt autem illa, Laudanum autoris liquidum; ejusdem apozema aperiens, & antiscorbuticum; pulvis chalybeatus pro delicatulis; ac Peptica ipsius Electuaria, quæ quibus substituam forte habeo, quæ vero anteferam, minime habeo. Cùm igitur repetitæ peculiares observationes horum remediorum vim illi probarint; desinat vir, cæteroquin clarissimus, & meritissimus Medicos a peculiaribus observationibus conscribendis avertere, sine quibus per illum ars jatrica,

ne-

neque promota fuit, neque promoveri potuisset.

X. Quòd verò absque Observationibus peculiaribus Medica facultas promoveri non possit, ex iis, quæ subdam, ni fallor, patefiet. Quamvis Praxis Medica a cujuscumque Medicinæ partis incremento utilitatem consequatur, attamen pars illa Medicinæ, de qua ante agebamus, Pharmaceutica, nempe Praxim maxime inter cæteras adjuvare, certissimum est. Cùm enim hæc potiora Medico adjumenta administret, quibus curantur ægri; ab hac Clinicos summe juvari necesse est. Verum equidem est, indicationes ex arte, recteque expiscatas curationum præcipuum esse fundamentum; nihilominus si media desint, quibus indicationibus satisfiat, tota quanta est Medicina inutilis, atque inofficiosa jacebit. Non absimili ratione peritissimus belli Dux, bellicas omnes artes frustrà calleret, si copiis, armisque destitueretur, quibus cogitata perficere posset. Ad rem nunc venio.

XI. Quantæ remediorum, & formularum accessiones Armamentario Pharmaceutico post Hippocratem, factæ sint; qui, vel leviter, Græcorum, Arabum, Latinorumque Scripta noverit, nosse facilime poterit. At omnia remediorum genera a veteribus in unum collecta, vix, ac ne vix quidem immensæ illi remediorum sylvæ æquiparari possunt, quæ

pro-

proxime elapſo, eoque, quod labitur ſæculo, in medium ſe protulit. Galli, Angli, Batavi, Itali, circa metam hanc inſudarunt; ſed laborum patiens Germana natio, ita omnes, qui hanc ſuſceperunt Provinciam, longo poſt ſe reliquit intervallo; ut, ſive Chymica, ſive ignem non paſſa remedia ſpectes, omnium horum, præ reliquis nationibus quam cumulatiſſimam ſupellectilem exhibuerit. Quibus titulis, quove fuco oblata remedia, & remediorum formulæ exornentur, lectu certe, quam dictu facilius eſt. Procul dubio, quod ſi ea præſtarent, quæ præſtatura aſſeruntur, nullus eſſet morbus, cui debellando par ſpecificum aliquid remedium non haberetur. Proindeque Apollinis filii, non ob violata inferorum jura, mortuoſque reſtitutos, in Deorum numerum referendi eſſent; ſed ob naturæ leges confractas, immortaleſque redditos homines, ab Jove puniendi. Hæc Medicaminum copia immenſa id præſtitit, ut Medicus, præcipue Tyro, exclamare neceſſe habeat: *inopem me copia fecit*, Cum enim ob remediorum ſpecioſos titulos, auctorumque laudata nomina, modo huic, modo illi medicamini fidat, hodieque uno utatur, cras altero; ne minus ſapere, quam alii, qui nova continuò captant, videatur; inde fit, ut nullum ſatis probatum habeat, utque dicta remediorum ſylva ab inutilibus,

&

& noxiis, vix expurgari queat. Quæ res Medicinam, & Medentes non adjuvat, ſed opprimit, neq; validiorem, ſed mimis potentem efficit artem.

XII. Hiſce igitur poſitis, quæ tam ſunt vera, quam quod veriſſimum, quomodo quæſo, aut qua via ab hac remediorum informi, ſeu, ut melius dicam, indigeſta mole, noxia ab utilibus, inutilia a valentibus, tituli, & vana remediorum nomina, a veris Medicaminibus ſecernentur, niſi experientiæ, & Obſervationis ope? An fidendum Scriptorum nomini, & auctoritati? An rationi, aut illi, quæ ratio eis viſa eſt? Si primum: ergo omnia optima, omnia eximia erunt: quod utinam! At pace eorum dixiſſe liceat, tam id diſtat a vero, quam quod maxime. Si ſecundum: ergo hypotheſes, præjudicia; nomina ſine rebus; mentis fallaciæ; rectæ methodi philoſophandi ignoratio; ſuperſtitio; ſophiſmata (hiſce etenim, ut plurimum dictorum Medicaminum vires innituntur) ut mendacia abſque ullo pudore conficta ſileam, Medentibus fundamenti loco erunt, ac Medica præſidia, quæcumque ea ſint, aut eſſe poſſint, probata reddent. Quæ, cum quiſque, qui ſenſu communi plane non careat, quam, non dicam levia, & futilia, ſed damnoſa, & damnanda ſint, videat; inferri neceſſario debet, quod Medicaminum approbatio ſolius veræ, & ſolidæ Obſervationis ſit opus. Aſſerti contra quoſ-

cumque sit Patronus magnæ auctoritatis sit Galenus, qui prudentissime, summoque cum Medico criterio tradidit: *Experientia normæ vice semper habenda est eorum, quæ cogitaveris, nec scribendum pro utili quidquam, quod non sis expertus, nisi tamen hoc ipsum testeris te non esse expertum* (*a*). Cum igitur per experientiam, quæ bona, quæque inutilia, aut noxia sint Medicamina, discere queamus, maxime nostra interesse hanc, quæ ab Observationibus peculiaribus pendet, excolere, absque ulla animi fluctuatione asserere possumus, ob magnam, quam præstat utilitatem. Cumque ea, quæ apprime utilia sunt, maxime necessaria sint; sequitur, nedum utile, sed necessarium esse Medentibus, peculiaribus Observationibus adnotandis incumbere. Quibus si diligentius studuissent, qui de re Pharmaceutica tot volumina conscripserunt; haud ædepol in tantæ molis acervum materies Medica excrevisset, sed firmiora, quam quæ prostant, haberemus præsidia, & magis auctorum promissis, votisque Medicorum, Ægrorumque respondentia. Quamobrem mihi magis de materie Medica bene meruisse videntur duo viri Clarissimi, qui libellos, quidem mole parvos, sed rerum pondere eximios ediderunt, præ quibusdam aliis, qui in magnis voluminibus consarcinandis, insudarunt: Weinarth, & Boerhaavium, dico; quorum primus, in

suo

ſuo Medico officioſo, diuturna experientia, & longo uſu, ut ipſe ait, *canonizatas* remediorum formulas deſcripſit: Alter verò in libello de materie Medica ſuæ Praxi annexo, Medicaminis titulo illa ſolummodo commendavit, quæ commendari poſſe, Obſervatio, & Praxis illum edocuit. Quale judicium de dictis opellulis fero, non quia de omnibus medicaminibus ibi perſcriptis periculum fecerim; ſed quod, nihil unquam ab illis Medicaminis aſſumpſerim, quod votis, expectationique non reſponderit. Quemadmodum igitur, qui fallax perſæpe fuit, fallax ſemper habendus eſt; ita, qui promiſſis perſæpe ſtetit, veracium virorum albo jure merito adſcribendus eſt.

XIII. Huc uſque quanti interſit Medicos habere, qui peculiares Obſervationes conſcribant, vidimus: nunc altera Sydenhamii examinanda ſententia eſt, qua contendit rariores Obſervationes rem medicam minime promovere. Id verò ut fiat, explicandum primo eſt, quid nomine rarioris Obſervationis apud Practicos venire poſſit. Ea igitur Obſervatio rarioris nomine cum primis commendari poſſe videtur, quæ novitatis aliquam notam præſefert: quæ enim nova ſunt, ea certe rara eſſe neceſſe eſt. Secundo loco, rarioris Obſervationis nomen meretur, quæ licet rara non ſit, raro tamen evenit. Po-

ſtremo illa Obſervatio rarioris prærogativam jure optimo ſibi vendicare poteſt, quæ tametſi, neque novi quicquam præ ſe ferat, neque raro contingat; tamen, vel ob eventus inſperatam felicitatem; vel ob difficultatem minime prævisam; vel ob facilitatem, qua vulgaria, vel in difficilimis responderunt; ſive ob individualem perſonarum, loci, temporis circumſtantiam; ſive (quod ad rem noſtram maxime facit) ob utilitatem, quæ paritura eſt, peculiariter deſcribi meretur. Primo modo, cùm primo apparuerunt, rara equidem fuerunt Variolæ, Scorbutus, Venerea lues, & alii morbi, qui, vel noviſſimè nobis incubuerunt, vel minus antea cogniti, notiores facti ſunt: Secundo modo, rariores Celſi *(a)* tempore erant Apoplexia, & Elephantiaſis, quæ rarius in Italia viſebantur. Quarum ægritudinum prior, licet cuique nimis obvia facta ſit; poſterior tamen inter rariores morbos adhuc cenſeri meretur. Quin aliquando fuit, cum noſtro Europæ cœlo dicta ægritudo fuit etiam primo modo rarior. Philo etenim Medicus apud Plutarchum *(b)* conſtanter aſſeverabat, Elephantiaſim novum eſſe Morbum; Athenodoruſque ibidem narrabat, primùm Aſclepiadis tempore Elephantiaſim innotuiſſe. Dixi Europæ cælo; quia

(*a*) l. 3. c. 35. 36.
(*b*) 8. Sympoſi. Quæſt. 9.

quia constat ex Magni nominis, ac pervetusto Scriptore Lucretio (*a*) Elephantiasim morbum fuisse Ægyptiis endemium:

Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili,
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam

Ob postremas porro rationes, rarior fuit Harwei Observatio (*b*) qui largiore dosi opii sumpta, calculos extrusit: morbi primo aspectu facilimi a pluribus descripti, qui tamen non nisi fortioribus auxiliis paruerunt; Riveriana (*c*) hydropis cum asthmate complicati per remedia facilima habita curatio: Venæ sectio, disparentibus variolis tutissime, ac felicissime a Boneto (*d*) Sponhio (*e*) Grassio (*f*) celebrata: Observationes de hydrophobis a Clarif. Mead in Anglicanis Transactionibus relatæ: ejusdem morbi curatio per Dominum Roault peracta & a Morino in Gallicis Actis descripta; ac plurima alia, quæ ob aliquam ex postremo adductis rationibus, rariorum observationum nomine queunt insigniri. Quas nisi auctores litteris consignassent, dubio procul circa plurima Medicina non profecisset.

(*a*) De rer. Natur. l. 6.
(*b*) Apud Pitcarn. Elem. M. M. M. l. 2. c. 24.
(*c*) Observ. Cent. 3. observ. 8.
(*d*) In Polyalth. de Variol.
(*e*) Ibid.
(*f*) Medic. Septentr. T. 2. l. 5. Sect. 5. Observ. 13.

XIV. Quotus enim V. G. quisque esset, qui ratiocinio fretus, contra totius ferme vetustatis auctoritatem, quæ opium inter frigidissima reponebat, expellentium cætui illud adscribere ausus fuisset? Sed veterum auctoritate posthabita, quæ tandem ob recentiorum inventa e fastigio deturbari visa est; quis quæso audax adeo fuisset, suisque argutationibus tantùm tribuisset, ut cum videret sanguinis profluvia, vomitus, dejectiones ab opio sisti, tali remedio uti vellet ad ea promovenda, quæ per cutim abscedunt? Forte dicetur, id ostendere potuisse opium Chemica analysi resolutum: At, præterquam quod Observationes, & quidem rariores, de opio habitæ, viris Chemiæ peritis ansam præbuerunt illud igne examinandi: quis quæso crederet, compositum adeò sulphure abundans, ac volatilibus principiis refertum, vi ea, quæ fluunt, sistendi, pollere? Cum hujusce farinæ remediis utamur quotidie ad tenacia dissolvenda; lenta in motum cienda; quæ nimis dense coeunt, dissocianda: quomodo quæso, nisi id, vel ingratis Observationes evincerent, volatilissimum, summeque sulphureum remedium adhiberemus ad cohibenda, quæ fluunt; ad sistenda, quæ turgent; atque ad ea cicuranda, quę vi, motuque susdeque omnia agunt? Quanto verò ęgrorum, & Medicorum emolumento id fiat, illi

optime

optime e medentibus norunt, qui norunt mederi. Novit id optimus Sydenhamius, qui adeo ex arte opio utitur, quique opii præparationem excogitavit, nedum ob facilitatem, qua uti ea possumus, ut Magnus vir credidit; aut ob correctionem fictæ cujusdam virulentiæ, quam addita in præparatione præstent, ut quibusdam in clarissima rerum luce adhuc cæcutientibus, videri potest; sed ob menstrui innocentiam, & valorem in volatilioribus opii partibus extricandis, longe pluribus, quæ de hoc remedio prostant, præparationibus, anteferendam.

XV. Utque ab uno ad aliud remedium Herculeum animum convertamus; quis quæso rationi solummodo confisus, crederet, vim penetrantissimam hydrargiri Apoplexiæ, Paralysi, nervisque obstructis mederi, cum videamus eos artifices, qui circa metallum hoc laborare consueverunt, nervinis potissimum affectionibus conflictatos? An ratiocinia id medentes docuerunt? Nempe ea, quæ inter frigidissima venena reponebant Mercurium: seu, ut recentiora proferam figmenta, quæ inter Alchalina remedia, maximum alchalicorum eum putant. Fortè obiicient id argui ex pondere, figura, & divisibilitate Metalli: At id genus remedii primas in solvendo obtinebat, antequam Mechanice philosophari didicissent medentes. Carpiusque, qui primus

Mercurium contra Veneream luem adhibuit; quique ex eo vere aurum confecit, neque Chymice, neque Mechanice loqui sciebat. In hac rerum hodierna luce, probabiliter equidem de vi Mercurii philosophamur; sed ante nostras probabiliores, naturæque magis consonas rationes, Observata, quondam rariora, vivum Argentum in debellandis maximè pertinacibus lentoribus, probaverant. De Antimonio, quid quæso, dicendum? Quanta dissidia, quantæque lites Medicos inter non exarsere, cùm primùm ejus usus cæpit institui? Quæ hypothesium, fallaciarum, Mentis Medicæ delirantis filiæ disparuerunt, ac quasi solum vertere coactæ sunt, cùm Observationes, primo quidem, non ob unam rationem rariores, postea obviæ, remedii vim, nedum innocentem, sed maxime efficacem, probaverunt. Memini me audiisse ab vetere Medico, de Borromæo, Clarissimo sui temporis Patavii Clinico, & Professore, Antimoniique fautore, cum dicti remedii usus sanctione publica inhibitus est; illum, quasi furore percitum, aras, sacraque omnia obtestantem, liberos suos ostendere solitum, atque exclamare: Iste, antimonii filius est: iste est filius Antimonii: Antimonii filius est alter. An igitur rara Observata parum opis Medicinæ attulisent, si ternarium hoc remediorum solummodo in Medicum penum compor-

por-

portassent? An id satis non est; ut Clinici imposterum rarioribus conscribendis studere debeant?

XVI. At hic Sydenhamium suo gladio jugulare liceat. Binos casus afferre est animus, unumque ab eo traditum; qui ob unam, aut alteram ex adductis rationibus inter rariores reponendi, mirum! quantum ea, quæ ipse edocet, confirment. Haud equidem quotidiana obviaque Observatio est, morbo maligno, phrenitideque correptum, ac pro mortuo habitum, aeri frigidiori expositum, revixisse. Hanc verò Observationem Sydenhamius notavit, ut suum frigidum regimen in variolarum cura, firmaret (*a*). Neque e trivio Observatio ea est, quod vomitus talis indolis, quandoque infestet, ut post quorumcumque remediorum vim elusam, cochleari (quis crederet?) succi limonum, cum pauco Absynthii sale, sistatur. Nihilominus, tanquam summe potens remedium, ut vere est, ad vomitum in febribus pręsertim malignis, sistendum, commendatur a Riverio (*b*) qui remedii vim in suis (*c*) Observationibus adnotarat. Sydenhamius, vel Riverii præcepta, vel Observationibus procul dubio fretus, methodum firmam pro curando Ileo (*d*) tradens, tali

(*a*) De Variol.
(*b*) Praxe l. 9. c. 8.
(*c*) Centur. 1. Observ. 15. & alibi
(*d*) Feb. contin. ann. 1662.

tali remedio, quasi firmissimo vomitum sistendum docet. An si Riverius rariores, quas profert de hoc remedio Observationes, non adnotasset, talis remedii vis Sydenhamio innotuisset? Quid, quod tres alias peculiares, & quas quidem raras appellare possumus, Observationes, Sydenham profert (*a*) ut quanti valeat Vitrioli Spiritus contra nigras variolas edoceat? En igitur, quod, vel ingratis, Clarissimus vir confiteri debet, rariorum Observationum historiam praxi Medicæ plurimum contulisse.

XVII. Verum hic quispiam reponet, memet finxisse mihi inimicum, quem impugnarem, cum Claris. Sydenhamius, haud asserat rariores Observationes Medicinæ non contulisse; sed quod ad morborum historiam proprie non pertineant. Si vero inductione, neque infrequenti probavero ab raris Observationibus morborum historiam, non jam expolitam, sed adauctam; virum Claris. manus dantem, ut puto, habebo, confitentemque rariora observata ad Historiam Medicam pertinere.

XVIII. Si cum primum apud Italos ad Neapolitanam obsidionem Venereus se se manifestavit morbus, virum aliquem ægritudine fæda correptum Sydenhamius vidisset, quale, quæso de tali morbo judicium tulisset? Illud pro-

(*a*) Variol. anomal. an. 1664.

procul dubio, quod tunc a cæteris Medicis latum eſt; morbum, nempe, hunc inter rariores, difficilioreſque reponendum. Quod ſi tunc de hoc morbo habitas rariores Obſervationes in Adverſariis deſcripſiſſet: eas cum cæteris medentibus comunicaſſet: ex iiſque invicem collatis, qualem apud ipſum nunc videre eſt, morbi hiſtoriam confeciſſet; nonne dicendum eſſet rariores Obſervationes dictæ hiſtoriæ prima veluti fundamenta, jeciſſe? At ita factum eſt: Ergo ne verum eſt, quod aſſerit, caſus oppido raros ad morborum hiſtoriam proprie non pertinere? Idem de Variolis, de Scorbuto idem dicendum. Sed alia addamus non ita e longinquo petita. Quam quæſo Maniæ, morbi ferociſſimi, hiſtoriam, non dicam apud ſequioris ſæculi Practicos, ſed apud ipſummet Sydenhamium habemus? An ſatis pro morbi hiſtoria dixiſſe eſt, a nimis exaltata, & vivida ſanguinis craſi exoriri? Haud ita mihi videtur. Sed ſi de Maniacis habitas rariores Anatomicas Obſervationes adduxeris, ut Magnus facit Batavus Boerhaavius (*a*) quanto abſolutiorem hujuſce inſaniæ texes hiſtoriam! Ait iſte, Anatomica diſſectione conſtitiſſe, Maniacorum cerebrum ſiccum, durum, friabile, in ſuo cortice flavum; vaſa vero turgentia, varicoſa, atro, tenacique cruore diſtenta.

Quo

(*a*) Aphor. de cognoſcend. 1121.

Quò facit nuperrima, eaque haud sanè obvià Clariss. nostri Santorini Observatio (*a*), qui hominis fatui cerebrum firmius invenit, quam esse consuevit, cum foveis hinc indè in meditulio insculptis: Variolarum historia; quantùm Sydenhamio debeat, vel ex comuni Saniorum Medicorum plausu, videre est. At maximum additamentum historiæ huic accessit ex peculiaribus, & quidem raris Observationibus Doctissimi Freind (*b*). Phthisis descriptionem, adornavit idemmet Sydenhamius; attamen nullus dubito, quin rariora de hoc morbo Observata, quæ habuit Mortonus, licet vir totus in hypothesi, neque meo judicio, Sydenhamio æquiparandus, copiosiorem Phthisiologiam, ampilioremque dicti morbi historiam, reddiderit. Deerat Medicinæ, quæ naris emunctæ Polijatris placeret repentinarum mortium historia, quam tamen ex rarioribus Medico-Anatomicis Observationibus, magnus contexuit Archiater Lancisius. Sed ad morborum historiam remedia quoque pertinent, quibus, ut plurimùm, & *certitudine Medica* morbi descripti cedunt; hanc verò historiæ morborum partem mirificè rariora Observata adauxerunt. Cùm E.G. Cortex Peruvianus ad nos primùm delatus est, quid quæsò rarius Clinicis contingere potuit, quàm tàm facili remedio febres illas expugnare,

(*a*) Observat. Anatom. c. 3. §. 6.
(*b*) In Epist. ad Mead.

re; quæ neque maximo remediorum apparatui cedebant; quæ, & ægrotos, & medentes plurimùm defatigabant; quæ neque temporis maximi morborum domitoris vires sentiebant, frustrà sæpè nimiùm *quartanam sperantibus ægris*? Ergò pars illa verissima historiæ febrilis, qua traditur, febrem, eamque potissimùm, quæ per manifestas Periodos motus suos absolvit, Peruviano cortici cedere, historiam medicam utilissimè locupletavit. Constat ex Dysenteriæ historia, eam, quæ cum nausea, & vomitu incipit, non raró esse lethalem. Ità Observavit Baglivus (*a*) ità Lommius (*b*) Hippocratesque scriptum reliquit, malo omine vomitum biliosum in principio Dysentericis supervenire (*c*). Sed vomitus ab arte per Ipechachuanæ radicem (forte, & per alia Emetica) excitatus, Dysentericos maxime levat. Porrò dictæ radicis virium priores Observationes in Praxi apud nostrates habitæ rariores certe fuerunt, quæ etenim nova, rariora sunt. Ab rarioribus itaque Observationibus Dysenteriæ historia profecit. Quid opus pluribus? Opium, Mercurius, Mars, simplicia vegetabilia, illorum morborum historiam Practicam adauxerunt, quos feliciter, & sæpius expugnare solent; quorum tamen effectus, cùm primùm saltem in usum

(*a*) De Dysenter.
(*b*) Observ. Medicin. p. mihi 145. 146.
(*c*) Coac. Prænot. Sect. 3.

usum venire cæperunt, rariorum Observationum nomine sunt insigniti. Neutiquam igitur vera est Sydenhamiana assertio, qua tradit casus rariores ad morborum historiam non pertinere, cùm ab hisce utraque morborum historiæ pars (quæ morbum solummodò describit, *Physicam* historiæ partem, divisionis gratia appello, quæ illum curat, & remedia recitat, *Practicam*, seu *Medicam* partem dico) summo cùm artis emolumento adaucta sit.

XIX. Hic Lectores, si quos habuero, persuasos velim, me hæc minime disseruisse animo Sydenhamium traducendi, quem quanti faciam ex superioribus constare potest; sed Professionis solummodò, veritatisque studio, si nullibi, in re tam gravi, atque est medicina necessariæ, ut ipse quoque pro virili ea auferam impedimenta, quæ Medicinæ, ejusque perfectioni officere possunt. Magnus Angliæ Hippocrates Sydenhamius de re medica ità benè meritus est, ut quæ contrà illum disserui, nihil ejus nomini detrahere possint. Scriptis, & exemplo adeò medicinæ profuit solertissimus Medicus; ut si quid illi e calamo exciderit, quod undequaque commendabile non sit, hoc, non viri, sed hominis vitio adscribendum sit. Cùm ille universaliori historiæ Medicæ conscribendæ studeret, Medicinamque quantùm posset certiorem, omninoque Dogmaticam reddere vellet, ea probare non poterat, quæ Na-

turæ

turæ inconſtantiam cauſarumque diverſitatem in morbis gignendis arguere aliquo modo poſſent. In hoc ſuo ſenſu ita abundavit, ut, quoniam peculiaria, majoraque obſervata oſtendunt, non rarò cauſas morbos producentes, haud univocas, conſtanteſque eſſe; tradiderit, rariores caſus ad morborum hiſtoriam non pertinere, peculiareſque obſervationes paucam arti Medicæ afferre utilitatem. Quæ res, ſi quid judicando valeo, cum quaſi nævus in pulcro corpore Sydenhamium non deformet (etenim homines ſumus, & *quandoque bonus dormitat Homerus*) ſic Medicos ex altera parte ob viri auctoritatem (*a*) rarioribus, & peculiaribus obſervationibus conſcribendis avertendo, non exiguum, ſed omnino maximum detrimentum arti Medicæ afferre valuiſſet.

XX. Nunc poſtquam Sydenhamiana aſſerta dilui, atque enervavi, quæ ſit vis peculiarium, & rariorum obſervationum in Praxi promovenda, preſſius perpendere liceat. Si quis negare auderet uſu artes perfici, eum, non jam ad Sapientum, ſed ad Fabrorum Collegia provocare poſſemus. Quæ uſus repetitus, & bene cedens invenit, ea inter Artis Præcepta reponenda ſunt, quæ inde alios inſtruant artifices ad opera peragenda. Hæcque adeo late patet veritas, ut nedum de Mechanicis Bolliciſque artibus vera ſint; ſed etiam inter Societatis nego-

cia

(*a*) Methaphſic. 1. c. 1.

cia locum obtineat; quapropter usu probatos, rerumque peritiores ad ea pertractanda suscipimus. In levioribus quoque peragendis expertus in experto præstat; ideoque *tenerorum lusor amorum*, quem plures exercuerant casus, se artis amatoriæ præceptis tradendis, & constituendis aptissimum existimàvit. Usus itaque in artibus (repetitæ, nempe, modo obviæ, aliquando rariores observationes) præceptis inveniendis inservit. Quæ quoniam statim ac inventa sunt, non undequaque expolita, & perfecta esse queunt; non alio modo perfici possunt, quam si iis ad Praxim methodo compositiva traductis, quæ in Praxi usuveniunt, responderint. Hinc fit, ut ea Præcepta, quæ observationes in artibus invenerunt, dum ad usum reducuntur, ab rariore aliquo casu cui congruere inveniuntur, illustrentur, & perficiantur; ac magis late potentia esse, quam quis sibi putasset, aut e contra, si contra eveniat experiendo, noscatur.

XXI. Non absimile certe in jatrica facultate evenit, in qua per peculiares observationes præcepta, & dogmata inventa sunt. Istæ vicem cujusdam analyseos gerunt, qua, ut in mathematicis Theoremata, sic in Medicis Dogmata, & constantiores regulæ medentibus aperiuntur. Atque (ne ab allato recedamus exemplo) quemadmodum Legum, & Theorematum in mathematicis analysis ope

inven-

inventorum valor, & fæcunditas elucescit; cum eorum ope, vel involuta adhuc explicantur, vel difficiliore via, & methodo explicita facilius enodantur; sic Dogmata Medica, tunc firmo stare talo, ut ita dicam, atque fulciri videntur, cùm rarioribus quoque congruunt, iisque sive curandis, sive enodandis, inserviunt. Quod si contra eveniat, noscimus regulam ad nimiam universalitatem evectam, Praxique, non omnino parem; quo vitio forsan Clariss. Sydenhamii processus in morbis omnibus curandis, quandoque laborant. Hisce colophonem imponat Magni Stagyritæ effatum (*a*) dicentis: *Quare experientia* (repetitæ nempè Observationes) *simile quid scientiæ ac arti videtur. Per experientiam autem ars, & scientia hominibus efficitur*. Per Observationes peculiares, Medicina in artem evecta est, nec sine hisce suæ perfectioni propior fiet unquam. Si ergo paucis commoditatibus medentes afficiant, Medicæque facultati non eximia additamenta allatura sint, cuicumque e Medentibus dijudicandum relinquo.

XXII. Evictum jam puto, quod mèa intererat cum primis demonstrare, peculiares nempe, rarioresque Observationes esse conscribendas, ad Medicinæ incrementum. Verùm prius, quam alteram pensi mei partem conficiam, antequam, nempe, de methodo in Observatio-

C nibus

(*a*) Metaphysic. 5. c. 1.

nibus conſcribendis ſervanda ediſſeram ; ut primum meum aſſertum ulterius firmetur, via eadem, qua ſub Diſſertationis initio Obſervationum utilitatem in univerſum demonſtravi, incedere nunc ſtatuo; peculiaribuſque, ac rarioribus Obſervationibus in medium adductis, quantum ab iſtis Medicina profecerit, demonſtrare. Eſt animus igitur per ſingulas Medicinæ partes feſtinanter excurrere, ex iique illuſtriora quædam exempla delibare, quod, ut fiat, a Phyſiologia initium duco.

XXIII. Ambigebatur apud Phyſiologos poſt Clariſs. Pitcarnii Diſſertationem (*a*) an Ventriculi digeſtio ſolidorum triturationis ſolummodo opus eſſet, an vero peculiaris ſucci, qui aſſumptorum compagem diſſolveret. Sed binæ Obſervationes, una Valliſnerii noſtri Celeberrimi (*b*), qui in Struthio-Cameli ventriculo ferri fruſtra manifeſte eroſa invenit; altera clariſs. Amyand in Londinenſibus actis (*c*) qui in cujuſdam voraciſſimi ſtulti Stomacho, ferrum, quod vorare conſueverat, binis in locis eroſum obſervavit, contra Pitcarnium diſſolventem menſtruum ſtatuere videntur. Quibus obſervatis, ſi addas glandulas, a pluribus quidem gratis aſſertas, ſed a Præclariſſimis viris, Morga-

(*a*) De metu, quo cibi Æ.
(*b*) In Anatom. Struthio.Camel.
(*c*) T. 2. Tranſact. Anglic. §. XVII.

gagnio (*a*) & Heiſtero (*b*) in ventriculi tunica nervea demonſtratas, adeo res firmo ſtare talo videtur, ut aſſertæ Pitcarnii ingenioſiſſimi demonſtrationes, corruere videantur. Pro primo conceptionis loculo uterus a pluribus habitus eſt; ſed fętus abdominales, & tubales rem neutiquam ita eſſe demonſtrant. Quin, qui in ovario inv ntus eſt, hunce ſitum pro conceptionis loco Naturam ſtatuiſſe evincere videtur. Etiam poſt recentiora inventa, obſcurior liquoris amnii erat uſus: obſcurus itidem modus, quo fętus infra uteri clauſtra aleretur. Hippocrates hac ſuper re, nequaquam ſibi conſtare videbatur, dicebat enim, modo fętum in utero ſugere (*c*) modo per umbilicalia vaſa (*d*) nutriri. Binæ Obſervationes, Graaffii altera (*e*) qui in embryonis Æſophago obſervavit ſemper liquorem ſimilem ei, in quo natabat; altera Heiſteri (*f*) qui Vituli os, æſophagum, ſtomachum amnii liquore repleta invenit; & dicti liquoris uſum in propatulo poſuere; & grandiorem fætum ſugere evicere; & Hippocratis ſenſa apparenter contraria, conciliavere. Ut enim certum eſt ultimis menſibus fætum per os

 ali-

(*a*) Adverſ. 2. Avimadv. 4.
(*b*) Compend. Anat. 209. 4.
(*c*) De carnib. tex. 8.
(*d*) De natur feb. tex. 5.
(*e*) Apud Morgagn. Adverſ. 4. animad. 46.
(*f*) In notis ad C. A. 20.

alimentum ſumere; ita probabile eſt, eum per vaſa umbilicalia nutriri, antequam oris deglutitioniſq; organa ſatis bene efficta, aut ſufficienter explicita ſint. Huc ſpectat etiam Verulamii viri Ampliſſimi (*a*) obſervatio de pulcis ab oro excluſis, in quorum gutturibus vitelli, quibus intrà corticem paſcebantur; inventi ſunt. Sub judice lis erat, utrum maternus cruor *immediate* in fætum transfunderetur; nec ne. Egregij CoWperi rariſſima obſervatio, de fætu in funiculo umbilicali ſauciato, indeque exangui reddita matre, cujus cruor in abdominis caro effuſus, inventus eſt: aliudque Solertiſſimi Protectoris experimentum de Mercurio in Vaccæ arteriam, quæ ad quemdam cotyledonem abibat, iniecto, poſteaque invento in venis umbilicalibus ad eumdem cotyledonem ſpectantibus (*b*) evincunt, fætum immediate a Matre ſanguinem haurire.

XXIV. Circa Pathologiam; non opus eſt tempus, & verba terere, cum Boneti Sepulcretum ſatis probet, quantum a peculiaribus, & rarioribus obſervationibus locupletata ſit ea Medicinæ pars, quæ morborum cauſas pertractat. At operoſum non erit, hic quoque luculentiſſimum aliquod exemplum afferre. Nolim convulſionum Doctrinam ab optimo Williſio traditam; tanquam numeris omnibus abſo-

(*a*) In Hiſtor. Vitæ, & Mortis ad artic. 4.
(*b*) Ex Diſſert. Drake T.2. Tranſact. Anglic. c.3. §. 14.

solutam commendare. Aliquid humani in ea tradenda Magnus vir passus fuisse videtur, quod sane ab ejus hypothesibus de natura spirituum, & de fermentatione deducendum est. Nihilominus, quod in ea Doctrina optimum est, flatus (res quidem contra suum systema de flatibus ab Hippocrate prolata, licet a posteris prætervisa) qui caput, Thoracem, artus, viscera omnia infestabant, magno Medicorum dedecore, & ægrotantium damno, inter intestina conclusit; quæque flatibus tribuebantur, Practicis, Anatomicisque Observationibus edoctus, membranarum viscera constituentium spasmos, crispaturasque esse, maximo cum hypochondriacorum, hystericarumque emolumento, demonstravit. Verùm, nedum flatus, Doctrina ista compescuit; sed humorum quoque non raro vires compressit, eosque inermes reddidit. Hippocrati suboluit quidem lethargicas affectiones (*a*) non raro esse convulsivas. Sed Riverii observatio (*b*) qui hypnoticis lethargum curavit, satis valet, ut de hujusce morbi ancipiti natura Jatro-Clinici imposterum moneantur. Coi auctoritate, & Riverii Observatione fretus, ipse quoque virum Typhomania laborantem remediis ex opio, & Castoreo sanitati restitui.

XXV. Semiotices Pathologiam sequitur; quæ

(*a*) In Coac. Prænot.
(*b*) Centur. 2. Observ. 26.

quæ ſigna morbi Diagnoſtica, & Prognoſticà refert, nec non affectas partes dignoſcendi modum tradit, a quibus omnibus, & natura morbi illuſtratur, & exitus prævidentur. Procul dubio, quod ſigna hæc a principio, cum nondum hominis hiſtoriam callerent homines, Empyrica fuere. Cum deinde Medici artem ſubtilius excolentes, anatomes ſtudio incubuerunt, cauſasque notas, ad notas corporis partes applicuerunt; tunc ſigna, quæ harum cauſarum applicatarum effectus ſunt, rationalia eſſe cæperunt. Nemini, qui ratione uti velit, dubium eſſe poteſt, quin Syncopem V. G. ab Apoplexia, hyſthericave præſocatione; colicam a Nephritide, Pulmonum a Pleuræ inflammatione, facilius diſtincturus ſit, qui hiſtoriam partium humani corporis noſcit, quam qui illam ignorat. En igitur, quomodo per Anatomicas, neque uno de nomine, rariores Obſervationes, morborum Diagnoſis additamentum accepit. Prognoſis quoque ſecurior inde facta eſt, quia certius mortem, aut vitam præſagiet, qui noſcit, an pars laborans vitæ ſit neceſſaria, nec ne, & quouſque ſit; quam qui de parte laborante nullam hiſtoriam habet. Obiici poterit, antiquorum, de ſignis exacta, & fidelis Doctrina. Reſpondeo, quod tametſi iſti quandoque morbos recte deſcripſerint, non raro tamen eos confuſe deſcripſerunt, inutiliterque diſtinxerunt, quod certò certius factum

ctum non fuisset, si hominis Æconomiam, partiumque usus perpectius novissent. Hippocrates, atque Aretæus hac ex parte Insigniores, non raro hoc vitio laborant; neque anginæ V. G. historiam ab hisce traditam, cum illa comparandam censeo, quam nobis incomparabilis exhibuit Boerhaavius (*a*). Sed hæc res longiore Dissertatione indigeret, quod instituti miei ratio non patitur. Addam solummodo quædam, per quæ constet, hanc quoque Medicinæ partem a peculiaribus Observationibus incrementa accepisse. In Pleuritide, ut falsum est, quod tradidit Aretæus (*b*) facilem esse decubitum in affectum latus; sic e contra dolor ad jugulum ascendens ab ipso, & Hippocrate notatus, signum certius pro morbo dignoscendo est, quam quæ a Practicis vulgo traduntur. Pauci e medentibus norunt idiopathicos capitis dolores, a sympathicis distinguere. Sed observatio Ettmuleri (*c*) qua tradidit eos esse idiopathicos, qui Lunæ, aut Solis cursum sequuntur, haud parum lucis Medico hosce morbos curanti attulit. Hystericarum, Hypochondriacorumque historia, copiosior certe, & verior apud Sydenhamium est, quam quæ in veteribus libris describitur. Baglivus in sua Praxi, Diagnosticæ Doctrinæ,

(*a*) In aphor. de Angin.
(*b*) L. I. acut. c. 10.
(*c*) Colleg. Pract. l. 2, Sect: 5. c. 6.

non pauca per suas Observationes, attulit additamenta. Ut verò etiam e signis Prognosticis aliqua calamo currenti tangam; præsto sunt, ventris tensiones, & Meteorismi in Variolis lethales (*a*) ex Pacecho, cui tamen ex Doct. Freind (*b*) præluxit Joannes filius Mesue, quo de signo, si bene memini, ne verbum quidem Sydenham. Vomitus in principio Pleuritidis salutem certissime ex eodem Pacecho præsignans (*b*): Diarrhęa in Phthisi Scorbutica ex mortono minime lethalis. Eadem Pulmoniæ, contra ac Hippocrates tradidit, ex Galeno (*d*) Boerhaavio (*e*) & mea observatione, salubriter accedens: Facies plumbea, quæ hydropicis mortem propè esse, obnuntiat ex Baglivo (*f*); Surditas in statu acutorum salutaris ex Riverio (*g*) quæ in incremento ex Hippocrate, & quotidiana fere experientia, lethalis, ut non pauca alia omittam, quibus ampliorem prædicendi artem, peculiares, rarioresque observationes reddiderunt. At illud me judice a peculiaribus, & rarioribus observationibus utilius semiotice accessit; quod hæc pars Medici-

næ

(*a*) In observ. River. com. 63.
(*b*) De purg. in scun. variol. febr.
(*c*) Apud Tozzi de Pleur.
(*d*) De Phthis. l. 2. c. 4.
(*e*) 6. de loc. effec. c. 4.
(*f*) In aphor. de Peripneum.
(*g*) Prax. l. 1. de hydrop.
(*b*) Prax. l. 17.

næ a pluribus tantopere exculta, atque hercle summopere excolenda, cuique, nec sane pauci, neque inferioris subsellii Medici, unicam, quæ haberi possit in Medicina certitudinem tribuunt, suas fallacias, incertitudinesque satis detexerit; ac quasi Proteus inter vincula, sic illa ab experimentis, & Observatis exagitata, & circumsepta, quam parum valeat, si rationis adminiculo destituatur, vel vi, confiteri, debuerit.

XXVI. Quæ valetudinem conservat Hygienes, qualis, quæso, esset sine Sanctorii Statica, diuturnæ, laboriosissimæ, rarissimæque Observationis inventum, cujus utilitatem in universa Medicina, nec solum in hac Medicinæ parte impari calamo ipse attingere nequeo? Norat utique Hippocrates, corpora esse, ut ille ait *expirabilia*; at quantitatem expirantis effluvii non norat, quemadmodum cum eo ignorabamus omnes, quæ vis esset sex rerum non naturalium ad hoc uaturalis Æconomiæ præcipuum opus vel promovendum, vel impediendum. Nugas profecto agere mihi videretur, quicumque hominum diætam, remque cibariam Systemate aliquo includere vellet. Idem sensit Dictator Cous, qui scripsit, impossibile esse de Diæta quicquam exacte scribere (*a*). Nihilominus, si quis Sanctorianis principiis, & methodo insistens, diuturnas;

im-

(*a*) De Diæt. l. 3. tex. 1.

imbrobasque Observationum sollicitudines patienti animo ferre vellet; nullus dubito, quin præclarissimum aliquod opus esset confecturus.

XXVII. Methodus medendi, quæ Therapeutices præcipua pars est, utilissima ab observatis, modo obviis, modo rarioribus accepit incrementa. Si enim ea parte hanc conconsideremus, qua, vel peculiares morbi curandi sunt, vel peculiaria remedia administranda, se se offert (res quidem a magno Hippocrate pluries tradita; licet a posteris ferme dixerim prætervisa) quod ad Phthisim dispositi, facillime, & male purgentur: quod opium, vel in exigua dosi sumptum hydropicos occidat: quod dolores Podagrici ab alvinis solummodo, & Stomachicis evacuationibus mitescant: quomodo hydrophobi salvari possint, si salvari queant: quod etiam impurgato corpore, ubi eorum usus indicetur, Narcotica tutissime exhiberi possint: quod Pleuritis Sanguinea sudore potius, quam sputo solvatur: quod in calculosis affectionibus, non tam pellendo calculo, quam demulcendis doloribus studendum sit: quod diuretica nullam noxam gravidis afferant: quod iisdem, vel inferiores venæ sine noxa pertundi possint: quod sanguinis missio sudorem non tollat, quin promoveat, & sexcenta alia, quæ apud emunctæ naris Practicos, & Observatores magno cum artis emolumento visuntur.

XXVIII.

XXVIII. Quod ſi dicendum etiam quicquam eſt de ea Therapeutices parte, quæ inſtrumenta Medico miniſtrat; ut alias recenſita hic denuo non oggeram, memorabo uſum internum maxime validum cantharidarum: Nobiliſſimam radicem vel auro cariorem Gin-ſeg: Salſam nunquam ſatis laudatam: Bidentem urticæ folio Lithontripticam Zeilanicam: Plantas acriore ſale præditas antiſcorbuticas dictas: Hiſtricis lapidem, ſive naturale, ſive factitium concretum ſit: pluraque alia, quæ haud nomine ſed re & viribus Medicum Armamentarium locupletarunt; quibuſque careremus, niſi peculiares, & rariores Obſervationes de iis habitæ literis conſignatæ fuiſſent.

XXIX. Ea quoque Therapeutices pars, quæ morbos manu curat, inſignes, utiliſſimoſque ab obſervatis habuit profectus. Sæculi prope elapſi Chirurgi (forte non pauci etiam hoc noſtro tempore) per primam, ut ajunt, intentionem, morbos fere nunquam curabant; at Obſervationes ſatis in propatulo poſuerunt, quam per compendium, atque feliciter plurima ita ſanentur. Quemdam ad hoc ſingularem, licet fortuitum eventum afferam. A pluribus minoribus plumbeis glandibus caput pertuſus, per Satellites comprehendebatur profligatiſſimus quidam homicida, & latro. Ut ex lege, laqueo ſuſpenſus emori debebat, ſic alia aderant, ob quæ prudens Præfectus

ſen-

sententiam de ejus morte ferre ex re minimè ducebat. Chirurgo itaque accersito edixit, nequissimo homini mederetur equidem, sed ita, ut mortem obiret. Chirurgus naviter Præfecti Præceptis parere credens, Spiritu vini admoto vulneribus, inflammationem utique induxit; sed ejusdem spiritus usu continuato, felicissime, & citissime ægrum ad sanitatem perduxit. Eadem Observata, linamentorum, seu turandarum abusum, qui adeo invalverat, improbarunt, legitimumque usum probatum reddiderunt. Ab iisdem docemur, quod & in progressu morbi, Trepanum, dummodo vires constent, sitadhibendum: quod in capite vulneratis, nedum tempora ab Hippocrate vetita, sed & Lunares Syzygiæ ab opera Chirurgica peragenda, sint vitandæ: Quod in Pectoris vulneribus, optimo cum successu injectiones adhiberi possint: Quod suppurantia maximopere vitari debeant pestilenti constitutione vigente: Quod prope vasa majora pus sit arcendus, & plurima alia, quæ apud observationum Chirurgicarum collectores videri possunt. An si quis, per allata solummodo, Jatricam facultatem exornatam, locupletatam, & in melius evectam, negaret, in eum, quod de Phænicibus vetus Parœmia habebat jaci summa cum ratione non posset?

Φοινικικὸν Ψεῦσμα

XXX. Quispiam ex iis, qui nodum in Scir-

po

po quærunt, obiicere posset, me extra oleas divagatum; cum enim de Observationibus in Praxi rarioribus, & peculiaribus describendis, disserere instituerim, eas Observationes in medium adduxerim, quæ ad Physiologiam exornandam plurimùm contulerunt. Huic ego respondeo, me ex iis esse, qui putant corporis humani Æconomiam, hominisque historiam unum esse ex præcipuis rationalis Praxeos fundamentis, proindeque ad Praxim conferre, quæ Physiologiam illustrant, certioremque reddunt. Claris. Practicus Weinarth (*a*) docuit, fallacissimam esse Praxim, quæ valida non est Theoriæ basi munita; Hippocratesque (*b*) Medicum hortatur, ut physicus sit, si omnia velit ad amussim perficere. Quin libro de vetere Medicina, textu 37. (ad quem textum, aut ipse nihil intelligo, aut male admodum sibi plaudunt Empyrici, & Anatomes, Physiologiæque osores) ita cohærenter textui de sterilibus, scriptum reliquit: *atqui mihi necessarium esse videtur, ut omnis Medicus de natura sciat, si modo aliquid eorum, quæ fieri debent recte præstare velit*. Bona igitur Praxis, auctore Hippocrate, sine Physiologia stare minime potest, quamobrem, cum ea observata protuli, quæ Physiologiæ favent, a quibusque Physiologia profecit, adduxi itidem, quæ

veris

(*a*) Medic. Offic. c. 2. x.
(*b*) De sterilib. tex. 18.

veris Clinicis utilitatem attulerunt, & sunt allatura.

XXXI. Quoniam igitur utilissimum, commodissimumque arti Medicæ usum esse probavi peculiares, & rariores Observationes conscribendi, restat, ut de methodo in hisce conscribendis servanda aliquid edisseram. Sub hujusce Dissertationis initio significavi, mutilam admodum artem nostram futuram si rationis subsidio destituatur. Quia cum (*a*) sit conjecturalis: cum nondum universæ artis (*b*) principium inventum sit: cum vix universalia Præcepta recipiat (*c*): cùm varient omnia pro personarum (*d*) temperamentorumque diversitate; aliud aliquid requiritur, quod observationes dirigat, atque expurget; nimis generalia a minus generalibus secernat; effectusque causarum inconstantium, atque æquivoci, ab iis, qui tales non sunt, distinguat, & notet. Quæ certe, nisi a ratione præstari possunt, quod ita fidenter assero, quia Magnæ autoritatis, summique judicii viros Patronos habeo. Totius Philosophiæ lumen Verulamius, qui *anticipationes naturæ a naturæ interpretationibus* primus ab Hippocrate distinguendas docuit (optima etenim philosophandi

(*a*) Cels. l. 1. c. *6*.
(*b*) Hippoc. 1. de morb. tex. 8.
(*c*) Cels. in *Præfat.*
[*d*] Thom. Barthol apud Bonet. T.2.M.S.l.4.Observ.17.

di methodus, quam Verulamius nobis restituit; in Hippocratis operibus collaudatur) *rem esse infirmam Medicinam sine Philosophia* (*a*) declaravit. Claris. Baglivus observationibus, si quis alius, addictus quique Medicinæ Incrementa, ab observatis potissimum esse petenda asseruit, ingenue scriptum reliquit: *Fallax quoque non raro experientia, si rationis subsidio destituatur; quapropter, nisi sibi mutuam lucem communicent, aliquam erroris ansam præbebunt* (*b*). At unum pro cunctis in medium adduxisse sat erit. Cous, penes quem semper erit in re Medica summa potestas, præcepit Medicum curam oggredi oportere *exercitationi cum rationi intentum* (*c*). Sed nimis ad rem facere mihi videntur, quæ in libro de vetere Medicina tradidit, ut ea huc transferenda non ducam. Contra artis obtrectatores differens (*d*) magnus Medicinæ Vindex, qui artem non esse, vel esse vituperandam sentiebant, quia exacta careret certitudine; ait [, non ob id esse reiiciendam, sed potius admirandam, quia certitudini propinqua, & talis, quæ *ratione* duce ad eam possit pervenire. *Non censeo itaque propter hoc, artem velut non existentem, neque probe investigatam*

ve-

(*a*) De augm. Scient. l. 3. c. 2.
[*b*] Pray. l. 1. c. 2. §. 6.
(*c*) Præcept. tex. 1.
(*d*) Tex. 2.

veterem oportere rejici, quia non habeat circa omnia certitudinem exactam. Verum multo magis, propterea quod propinqua est recto, simulque ratione possit ad ipsum pervenire, admirari oportere censeo ea, quæ ex multa ignorantia sunt eruta, atque inventa. At si antequam ad alia progrediar luculentis exemplis Hippocratis auctoritas per me illustrabitur, ostendeturque, quomodo rationis fax tenebricosis Observationibus lucem præbeat, me tempus, & verba terere non putabo.

XXXII. Mulieribus utero gerentibus, sanguis ne detrahendus? Priscæ clamant Observationes, mulierem gravidam vena secta abortum facere (*a*): Observationes vero recentiores falsum id esse ostendunt. Quomodo igitur inter observationes hasce contrarias se a difficultatibus expedire poterit Clinicus? Si ætas, temperies, robur, victus ratio, ac graviditatis tempus probe pensitata; ostendent, ea, quæ patitur prægnans a sanguinis copia pendere, qui primis præsertim gestationis mensibus a fætu non consumitur, neque per uterum, ut solebat, excernitur, sanguis tutissime detrahetur. Alias periculum erit, ne cum sanguine detracto alimento fætui, iste laboret, & pereat. Sic Medicina *recto propinqua* ratione observationibus accedente, *ad rectum perveniet.*

XXXIII.

(*a*) Aphor. 5. 30.

XXXIII. Capitis, oculorum, aurium affectionibus, vomitus conducit, nec ne? Observationes, & Medicorum, Hippocratisque dictata ab observatis deprompta, hac super re variant. Libro de locis (*a*) in homine, inflammationibus oculorum, vomitum expresse damnavit Hippocrates; sed in eodem libro scripsit *fluxione a capite fiente, vomitus conducit* (*b*) & alibi (*c*): *si superni loci turgeant, qui sunt circa caput, ulcerum purgatio, vomitus, hydrops*. Secundo de morbis (*d*) contra cerebri morbum ex aqua, in quo & *regiones oculorum dolent, & caecutit*, & *pupilla finditur & si surrexerit* vertigo accedit, ab Emetico curationem auspicatur. Clariss. Tozzi (*e*) cohærenter primo Hippocratis præcepto, ait, in affectibus oculorum, & cerebri, vomitum non conducere, quia partes istæ plurimum compatiuntur a vomitu. At contra Martianus (*f*) eos valere jubet, qui in capitis affectibus vomitoria præscribere formidant; Pitcarniusque (*g*) docuit: *oculorum affectus* non debere *quemlibet deterrere a vomitorio, quod iis sanandis potius prodest, quam obest*. Dum

(*a*) tex. 21.
(*b*) Sect. 2. tex. 47.
(*c*) Epid. 2. Sect. 2.
(*d*) Tex. 15.
(*e*) Sup. aphor. 21. Sect. 1.
(*f*) Sup. 2. Epid. Sect. 6. ver. 36.
(*g*) Elem. M. M. M. l. 2. c. 1.

hæc ſcribo; puellæ diuturna ophthalmia laboranti cum hypopii ſuſpicione, quæ evanuit, Medicinam faciebam. A radice Jalappæ cum Mercurio dulci catharſis gratia propinatæ evomuit, & poſtridie melius ſe habuit. Noſco virum quinquagenarium, phlegmatico-melancholici temperamenti, qui quotieſcumque in victu, & in potu, præſertim, errores committit, poſtridie dolore intenſo oculi ſiniſtri laborat, a quo procurato vomitu (evomit autem facilime) evadit. De affectibus oculorum vomendo ſanatis, conſulatur ab Hivellina in Obſervationibus. Sed en *pila minantia pilis*; ſtant apud Hildanum, e quibus noſci poteſt, quantum cerebro mali, oculiſque immineat ab Emeticis. Quod tradidit Celſus (*a*): *qui obnoxii ſunt dolori capitis, vomitum non ſufferunt*; confirmari videtur ab Hildani Obſervatione (*b*) qua memorat quemdam capitis dolore exercitum ab aſſumpto Emetico mentis, & rationis uſum ammiſiſſe. Alter cachecticus (*c*) cæcitatem vomendo contraxit: Fæmina optimo corporis habitu prædita, vomendo auditum amiſit: & vir a vomitorio vehementi, prius cæcus evaſit (*d*) ejuſdemque poſtea Medicaminis beneficio viſum recuperavit. Sed vir

Ge-

(*a*) L. 1. c. 3.
(*b*) Cent. 5. Obſerv. 12.
(*c*) Cent. 3. Obſerv. 60.
(*d*) Cent. 5. Obſerv. 19.

Genere, Virtute, Dignitate oppido Insignis triste præbuit exemplum noxæ, quam oculis Emetica minitantur. Albertus I. Imperator, Magni Rodulphi, a quo Austriacorum gloria cæpit, filius, ut venenum ab Salisburgensi Episcopo (*a*) propinatum vomendo rejiceret, oculum amisit. Qui itaque solis observationibus pronas præbent aures (Præcepta Hippocratis sunt mihi acervi, & myriades Observationum) quomodo se gerere dictis in casibus debebunt, cum Medicina, ut semper cum Coo loquar, *non idem facit, & ad idem contraria facit?* (*b*) *Filum*, quo ab hisce Labyrinthis se expediant, a ratione petendum est. Si ad ægrorum cùm fluidorum, tùm solidorum temperiem; si ad colli, & faciei vasorum revehentium statum: si ad morbi sedes; cum maxime ad quasdam ægrorum idiosyncrasias, quas ab ægris sciscitando discimus, animum advertemus (ex Celso (*c*) siquidem, *sunt quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quicquam in futurum præsagiri potest*) eos ab aliis casibus discriminabimus, in quibus suspecta erit, & esse poterit plenitudo, quam capiti vomendi conatus inducunt. Abeant igitur, ac valeant, sibique se solos plaudentes habeant, qui ratio-

(*a*) Graveson Hist. Ecclesiast. T. 2. Colloq. 1.
(*b*) De loc. in hom. tex. 50.
(*c*) L. 1. c. 2.

cinium a Praxi excludunt, cùm sine hoc *ad rectum nunquam perveniri possit*; & nos e contra, in Observationum, Experimentorumque subsidium rationem advocemus. Sed quam rationem?

XXXIV. Forte, quæ ab hypothesi aliqua deducta, peculiaria, quæ Observantur suo modo, suamque, ut ita dicam, ad amussim dissecat, sibique subigit? Minime herclè, sed, quæ ab iis, quæ visuntur, quæque in potestate nostra sunt, promanans, se rebus submittit, eaque componit. En magni senis (*a*) paucis verbis comprehensum magnum Consilium: *Non ratiocinationi prius probabili in eatum curam aggredi oportere, sed exercitationi cum ratione*; Subditque a se non laudari ratiocinationem, illam, quæ ab universalibus probabilibus tantùm pendet, *sed illam solummodo, quæ ex iis, quæ palam perficiuntur initium fecerit*. Prima etenim opinionem, secunda scientiam parit: Cum vero *opinio ignorare faciat*, scientia *scire* (*b*), necesse est, *ut opinio in Medicina maxime in crimen vertatur eam adhibentibus* (*c*).

XXXV. Ex dictis, quasi per corollarium juste deducitur, nudas Observationes minus utilitatis Medicinæ afferre; sed tunc artis ma-

(*a*) Præcept. tex. 1.
(*b*) De leg. tex. 3.
(*c*) De decent. ornat. tex. 4.

maxime promovere incrementa; quando cum aliis datis notisque compositæ, ad indicationes pro morbo curando mentem excitant: Præcepta artis, vel plus late patentia efficiunt, & exornant, vel quæ extra Pomeria perferuntur, suis terminis coercent: methodum aliquam peculiarem comprobant: præjudicia ab hypothesibus orta destruunt: ac quæ præstita sunt, rectè ne, an secus facta sint, determinant. Quemadmodum ea Historica lectio utilior est, quæ nedum facta narrat, sed ex hisce ea colligit, per quæ amicorum, inimicorumque cogitata dignoscuntur; futura prævisuntur; eamque lector mentis, judiciique habitudinem adipiscitur, quam civilem prudentiam vocamus.

XXXVI. Infertur inde etiam, quod quamvis minus commodi nudæ Observationes afferant, ob ea, quæ ante allata sunt, utilius tamen fuerit a plerisque medicorum eas nudas exhiberi, quam appendicibus exornatas; quia, cum plerumque hypothetici essent, vix fieri potuisset, quin naturæ phænomena vel male ad sensa sua detorsissent, vel suis argutationibus obumbrassent. Haud pauca hac super re exempla afferri possent.

XXXVII. Hisce igitur positis, quicumque Observationes Medicas peculiares scribere aggreditur, illud sibi ante omnia negocii datum putet, ut quæ vidit, quibusque interfuit,

quam castissimè describat, nihil de suo addens, aut demens, ne quid facti veritas detrimenti suscipiat. Ex illis vero, quæ ab Ægrotis, aut adstantibus audivit, quæ ad rem faciunt, aut facere possunt solummodo notet, cum plerumque (neque id solum apud rudiores) eveniat, ut in enarranda morbi historia plura intermisceantur, quæ tam a morbo distant, *quam distant æra lupinis*. Illud etiam non raro accidit, ut *non causa pro causa* accipiatur, ac remotioribus ægri adhæreant, iis posthabitis a quibus ægrotant. Igitur ex eorum narrationibus ea tantummodo seligenda quæ morbo favent.

XXXVIII. Illud secundo loco sciendum est, quod nedum ea scribere Medicus debeat, quæ vidit, quæque ab ægrotis audivit, sed alia etiam, quæ plurimum commodi ad conjectandum afferunt. Hæc verò sunt temporum vicissitudines, quæ morbum antecedunt; ægri habitudo; temperies; labes hæreditaria; ætas; sexus; ars, quam exercet; locus quem incolit; victus ratio; Epidemica constitutio, quæ obtinet; anni tempus; quia, quo plura sunt data, & nota, eo facilius ad incognitorum naturam pervenitur. Quæ omnia si exemplis illustrare, ac persequi vellem, profecto dies me deficeret. Ob id tradidit Hippocrates: *victus rationes, quantum fieri potest noscendæ,*

nam

nam non nosse, multarum calamitatum (a) res est. Ob id etiam Medicos improbat, qui Gnidias sententias scripserunt (*b*) quia tametsi ægrotantium morbos, quæque ægrotantibus supervenire solent, recte perscripserint, quæ tamen, & non Medicus describere poterat; nihilominus ea omiserunt, quæ quoniam conjecturas, & indicationes suggerere quibant, Medicum non decebat omittere.

XXXIX. Peculiares quoque idiosyncrasias, morbos prægressos, vulnera, ictusque, atque hisce similia minime omittat; hæc etenim, mirùm! quam conferant, tum morbi intimiori naturæ noscendæ, phænomenisque cum ratione enodandis; cum maximè Medicaminum selectui, & dosi. Quidam, vel a levissimis copiose purgantur: quibusdam, peculiaris aliquis odor molestus est: quorumdam Stomachus a liquidis abhorret: non paucorum guttur solidiora deglutire respuit. Passim observamus, quod morbus aliquis parti alicui, quæ, vel vulnerata, vel contusa, vel fracta, aut e propria sede detrusa fuit, incumbens, gravior oppido, quam reverà sit, appareat. Neque obstat, quod singulis in casibus utilitas, quæ ex horum adnotatione expectari potest, non elucescat. Sat enim est, eam nos consequi sæpe, ut semper iis animum adver-

(*a*) Epidem. 6. ex parva Tabul.
(*b*) De rictus ratio. in morb. acut.

tamus. Sic aleator; quamvis se victoriam quandoque noscat reportare non posse, non ob id tamen negligentius ludit, eaque omittit, quæ eum, vel non obsecundante Fortuna, probe atque ex arte, ludere arguunt.

XXXX. Semper illud etiam Observationum Scriptor in mente habeat, hominem, ut ajebat Hippocrates, universi potestatem non superare (a) nempe, quod vel ægrotus, & in cubiculo conclusus, aeris vicissitudinibus, quasi automaton subijciatur. Proindeque sicuti necessarium duxi temporum mores, quæ morbum præcesserunt, describere; ita non minus necessarium est tempora observare, dum actu homo ægrotat, ut effectus, qui morbi, aut Medicaminum proprii sunt, ab iis, qui ab aere pendent, quantum fieri potest, distinguantur. Hæc vero de temporibus observandis dicta, ita intelligenda sunt, ut, non solum horarias cæli mutationes, sed magnas anni vicissitudines quoque comprehendant; quarum vires in morbis, vel gignendis, vel solvendis, vel extenuandis, vel gravioribus reddendis, nemo, ut puto, est e Clinicis, qui non adnotarit.

XLI. Nedum remediorum adhibitorum mentio facienda est, sed etiam methodus, & morbi tempus quo adhibita, scriptis exacte sunt consignanda; etenim si nul.

libi,

(a) De dieb. judicat. tex. 1.

libi, certe in acutis: *temporibus Medicina valet, data tempore prosunt*; ideoque ea observatio, quam tanquam exemplum, inspecturi sumus, similem ei, qui in ea habetur, morbum curantes, clare, ac distincte omnia nobis ob oculos ponere debet. Quam valeat, tum in acutis, cùm in longis passionibus curandis methodus in Medicis administrandis præsidiis, supervacaneum est disquirere: vel levia, vel vulgaria apta methodo exhibita mirabiles edunt effectus; cujusce rei luculentissimum nobis præbuit argumentum in sua Praxi; & materie Medica omni laude major Boerhaavius. Præbuit itidem Sydenhamius in cura, peculiariter, hystericarum, & hypochondriacorum, quos si de more catharticis exerceas, doloribus, spasmis, lypothimiis fere semper multabis; iis vero e contra si methodo Sydenhamiana medearis, absque ullo malo symptomate intestina inferiusque guttur deterges.

XLII. Cùm remediorum vires non sint *absoluta*, ut non pauci e Medentibus credere cum vulgo videntur, sed *respectiva*; necesse est etiam, eorum præsertim, quæ sensibiliores edere solent effectus, doses annotare; cum inde inter agens, & patiens corpus servata conspiciatur proportio, qua similibus in casibus cum profectu Medicamina propinentur, quæ Mechanice tantummodo agunt, tametsi eorum

actio,

actiones haud semper Mechanice explicare queamus. Quin, cum haud raro eodem remedio pluribus indicationibus satis faciamus, quæ operationum diversitas a diversa remedii dosi solummodo pendet (opium, cathartica, aquea, sudorifera, hujusce rei exempla nobis quotidie ob oculos ponunt) necessitas adnotandi dosim eorum remediorum, qui sensibiliores edunt effectus, elucescit. Eadem necessitas ex eo etiam apparet, quod diversitas ætatum, temperamentorum, virium, morbosarum affectionum potissimum, nunc ut pleniore, nunc ut minore dosi propinentur Medicamina exquirunt. Quoniam etenim, ut rectissimè Celsus (a) *multa admodum corporibus nostris incidere consueverunt, quæ sine Medicamentis ad sanitatem pervenire non possunt*, Naturæ morborum Medicatrices sic remediis ad subigendos morbos egent, quemadmodum Machinamentis Mechanicus opus habet ad opera peragenda. Verum sicuti Architectus spe excidet, si vectes debiliores, subtilioresque funes gravioribus ponderibus admoveat; ita Naturæ cedet frustra labor, si Medica Machinamenta non erunt illiusmodi, quæ plurimarum circumstantiarum observato concursu, vi morbosæ affectionis congruant. Gualterus Harris (b) sat docuit, quanti referat vel

(a) In Præfat.
(b) De morb. Infant.

vel testaceorum, atque absorbentium doses adnotasse. Præjudicium contra Peruviani Corticis valorem, quo adhuc non pauci tenentur; hunc, nempe, recidivas, aut promovere, aut non præcavere, inde originen duxit; quod quantitas ea corticis, quæ necessaria est ad febrium causam edomandam, averruncandamque, aut non sumatur, aut non præscribatur. Evenit, ut hac super re, modo indulgentiæ, modo incuriæ meæ me bis pæniteret, quod hic loci ingenue narrare, ut alii feliciter periculo meo sapiant, non abs re, neque mihi injuriosum fore, existimo.

XLIII. Vir in Ecclesiastica dignitate constitutus: siccioris temperaturæ, prope octogesimum annuum ætatis agens, a victu salito, & meraciore potu, Aprili inclinante laborabat graviore febri, quam tertianam duplicem vocamus, quæque paucis horis ægrum integrum relinquebat. Pulsus, licet in statu febris satis elatus, semper tamen inæqualis. Diarrhæa aderat, cum siti vehementiore, atque in febris vigore, mentis inconstantia. Necessum esse proximum antevertere Paroxysmum edixi, ne æger morbo cederet, ideoque corticem Peruvianum in forma sicca cum absorbentibus, & extenuata dosi Laudani, propinandum. Non vocatus, Senior accessit Medicus, timens, ne per manus imperiti Carnificis (tunc etenim eram admodum juvenis)

æger

æger jugularetur. Iste corticis usum; ne ægrum excalefaceret improbabat: non tutum itidem illum corpore non expurgato exhibere, esse ajebat. Sed cum ego, nisi rationibus, lingua certe plus valerem, ab eo extorsi, ut cortex exhiberetur, sed de dosi convenire non potuimus. Tres igitur Drachmæ solummodo Chinæ cum grano laudani opiati, Antimonio diaphoretico, & Montana Chrystallo præparata sufficienti quantitate Syrupi e corticibus citri excipiebantur, atque in bolos efformabantur, a quibus præstitum, ut stata hora febris non accederet. Quapropter cum mane ad optimum Archipresbiterum accessi, tanquam suum Redemptorem me amplexabatur, omnino hilaris, & de sanitate securus. Tunc corticem denuo ingerendum ego clamabam, sed senior Themiso omnino obstitit, nil nisi ætatem, longævamque Praxim obijciens. Quid inde igitur? Ad meridiem horripilatio, & somnolentia accessere; vomitus; pulsus inæqualis; lingua arida, quibus in febris progressu se comites dabant impotentia degluttiendi, loquela intercepta, manuum tremores, quæ die sequenti ad meridiem ægrum sustulere. Pleniore dosi cortex exhibitus febrim jugulasset, & forte æger sanitati restitutus fuisset.

XLIV. Viro legitima Ischuria laboranti, cui ex arte, sed irrito successu ab ejus Medico

plura

plura præſcripta fuerant, ut cantharides cum camphora exhiberentur, conſulebam; recordabar ſiquidem, me legiſſe in actis Londinenſibus, inſecta hæc deſperatæ Iſchuriæ opem tuliſſe. Sed cum quantitatis remedii non recordarer, ad quatuor ſolummodo grana cum æquali camphuræ portione exhibebantur. Duabus horis ab aſſumpto remedio aliquantulum minxit; ſed denuo urina ſuppreſſa, ad plures migravit. Mea excerpta poſtea revolvens, inveni Dominum Yonge (*a*) quinque ex hiſce, inſectis, & Hieronymum Fabricium ab Aquapendente (*b*) quatuor, optimo cum ſucceſſu, exhibuiſſe. Cujuſce doſis, ſi tunc ego recordatus fuiſſem, neque cauſticam vim cantharidum veritus eſſem, æger fortaſſe evaſiſſet. Tanti intereſt Magnorum remediorum doſes probe annotare!

XLV. Nihil Æthiologici, multoquè minus hypothetici Hiſtoriæ permiſceatur, cum primum, licet utile, & Obſervationibus non raro adiungendum, inter hiſtoricam narrationem locum non habeat, eamque perturbet: ſecundum, fere nihil boni, ubicumque ponatur, pariat, ſed intellectum legentis, præcipue

pue

(*a*) T. 3. Tranſact. Anglican. c. 4. §. 5.
(*b*) De urin. ſuppreſ. in oper. Chirurg. Hippocrates quoque ad ciendos menſes, quatuor cantharidas, alis, pedibus, capitibuſque deruptis, præbuit. (Text. 8. & 29. de natur. mulieb.

pue si Tyro sit, vel falsis, vel dubiis ideis infarciat. Contra quam legem peccasse mihi videtur quidam Doctissimus vir, qui Observationem quamdam tradidit, tanquam exemplar ad imitandum iis, qui Observationibus conscribendis student; dum in narrationis contextu loquens de appetitu, quo æger erga res gelidas ferebatur, subdit, id a bilis æstu originem traxisse. Quod quamvis probabile fortassis fuerit, attamen tunc non erat ei locus, cùm id, non ex historia, sed ex ratiocinio constare debuisset: Deinde, dum remedia adhibita recitat, herbas nominat refermentantes, cum tamen adhuc lateat an ulla in nobis fermentatio sit, quæ solummodo pro hypothesi, suscipe debet.

XLVI. Historia fideliter enarrata, si velit Æthiologiam morbi tradere, tunc opportune locus illi aperietur. Qua in re perficienda, magni Bellini methodo inhæreat, ex datis, & notis ad ignota philosophandi. Cæterum pro animadversione ea pertractet, quæ utiliora pro re nata illi videri possunt, ab hypothesibus semper abstinens, nec pro ratiocinii fundamento, nisi certa ex Anatomico, atque experimentali penu sibi assumat. Quod si quandoque hariolari necesse habeat, aut volupe illi sit; cum primis religiosissime sibi careat, ne dubia pro compertis jactet; illisque potissimum adhærent, quæ animali Œconomiæ,

nomiæ, anatomicisque dissectionibus congruunt; quæque Mechanicis legibus, ac Geometrica methodo pertractari se sinant. At hic non est animus de methodo philosophandi in Praxi Medica pertractare. Ita Observationes, meo judicio, legentibus utilissimæ evadent; Praxisque Medica, per quantum homini licet, promovebitur; quale punctum, an ego hisce meis quæ nunc in lucem profero, tulerim; præceptisque a me datis rite paruerim, Doctorum Jatro-physicorum erit judicium.

F I N I S.

VEN-

VENTRICULI POLYPUS

Per anum detrusus.

OBSERVATIO PRIMA.

B.

MUlier 46. annos nata, melancholici temperamenti, merobiba, & multibiba, a multo tempore animi pathematibus agitabatur, ob rei domesticæ jacturam, suæque conditionis sortem in deterius mutatam. Cum antea operosa, ac negociosa esset, vitæ modum deinde sic instituerat, ut fere semper otiosa degeret. Hinc queri incæpit de famis deficientia; flatibus, ac borborygmis plus solito divexari: alvus adstrictior fit; ac tandem maximo labore, qua colon per abdomen reptat, laborat. Accessit vomituritio prius serosæ deinde biliosæ materiei; admodum corruptam postmodum materiem rejiciebat, & visu, & odore fædam. Per ventrem durus quidam glomus nunc huc, nunc illuc discurrebat, qui aliquando ad Epigastrium ascendens, acerbissima cardialgia, ventriculum infestabat; quam e lecto exiliens, ejulans, ac se emori clamans, altero dolore colico, graviorem oppido, mulier misella fatebatur. Emollientes, ac discutientes fotus; tepidæ in

un-

unctiones ex demulcentibus oleis; atque ex triticeis furfuribus cum olivarum oleo ex tempore parata clysmata, levamen vix afferebant; cum tertio die levabantur dolores, Paregoricis haustibus affatim ingestis (nihil enim leviores juverant doses) ex laudano liquido Sydenham, & spiritu carminativo de tribus (quem alias in intestinorum morbis, ex Ettmuleri, ni fallor, monitu, a vini abusu, optimum expertus eram) in aquis stillatitiis utero, stomachoque dicatis. Attamen etsi dolores siluissent, neque amplius glomi per ventrem perreptatio urgeret, stomachus nihilominus oblata quælibet cibaria respuebat, ac medicamina quæcumque, nisi laudano sociata essent, indignabatur. Ajebat se procul dubio vivum aliquod animal in stomacho habere, unde vermium suspicio exoriebatur. Irrita itaque contra indignantem stomachum illinitione ex Theriaca, & Balsamo Peruviano: irrito cataplasmate de crusta panis: irritis sacculis ex aromaticis herbis ex vino coctis; irrita fuere quoque cataplasmata anthelmintica ex absynthio, hyperici floribus, foliisque mali Persici ex vino coctis. Minus tamen vomituriebat linimento apposito, ex oleo nucis myrrhisticæ expresso; absynthii stillatitio; aqua Reginæ Hungariæ; ex mastiche in pulverem redacto. Tunc purgationem aggrediebar minutis pillulis, ex aloe, & mercurio

dulcificato, ſucco abſynthii exceptis, quibus medietas grani opiati Laudani miſcebatur. Hoc die, qui ſextus erat ab invaſione morbi, bene ſe habuit, neque alvus ſubducebatur. Diem tamen benigniorem, graviſſima non excepit, qua enormibus vomendi conatibus, crebris lipothymiis; teneſmo frequentiore, cui pauca excretio mucoſa ſuccedebat; ſtomachi, ventris, lumborum partiumque naturalium doloribus ægra tantum non necabatur. Vocor ad Auroram, atque ad Laudanum, tanquam ad ſacram, cum confugerem, anchoram omnia miteſcunt, & mediocris purgatio variegatæ, ac fœtidiſſimæ materiei cum euphoria ſuccedit. Morbum magna ex parte protritum pronuntio, vinumque ex ceraſis, quas *Maraſche* appellamus, ſic ægra expetente, concedo. Bene per huncce diem ſe habuerat, cum improviſo ad ſecundam noctis horam, magna ſollicitudine, accerſor, ut infelicem jam jam perituram (ita enim nuntius ajebat) quæ propria cacaverat inteſtina, inviſam. Rei novitate permotus, feſtinanter accurro, illamque invenio ſumma quidem formidine correptam; quam cæteroquin, cum nihil ſe mali habere diceret, bono eſſe animo jubeo. Afferuntur inteſtina ſuppoſita: & ecce glomus membranoſus, magnitudine duos pugnos æquans, nullo ſtercore coinquinatus, colore, ad cinerem

ten-

tendens, qui explicatus, in duas ſatis craſſas membranas diducebatur. Duorum funiculorum ope, craſſitiem calami ſcriptorii obtinentium, ad marginem, qui mihi inferior apparebat, dictæ membranæ connectebantur; qui inferior margo in convexam deſinebat ſuperficiem, cum qui mihi ſuperior erat, in irregularem terminaretur. Ita dictæ binæ membranæ non omnino ruditer, duos ventriculi humani parietes repræſentabant. Tum longitudo tum latitudo illarum, unum ex meis majoribus palmis ſuperabat: latiores verò, quam longiores erant. Quatuor duorum digitorum ſpatio diſtabant ab invicem, atque una ab altera chorda, quæ eas connectebat, duorum digitorum intervallo dirimebantur. Plicas quaſdam per longitudinem diſcurrentes, habebant, quæ tamen haud continuæ, neque recta in longum exporrigebantur; ſed ut aſſolet in frontis lineis quorumdam hominum, portio portionem ſuperſcandebat. Frequentiores erant hæ plicæ, qua membranæ ad inferiorem marginem invicem colligabantur; obliterabantur vero ſuperiorem limbum verſus; ibique ferme levigatæ membranæ apparebant. Unius ex dictis membranis, quæ tunc mihi a ſiniſtris erat, ſuperior limbus, quamdam foliaceam expanſionem emittebat, aliquantulum albidiore colore, rugiſque confertiſſimis exaratam. Inter rugas, plicaſque

attentiſſime inſpexi ; ſi qui cucurbitini vermes latitarent, quorum tamen nullum fuit mihi datum videre . Inde mulier optime ſe habuit, ac poſt duodecim annos , adhuc ſana eſt.

II. Quid quæſo ſuperiorum ſæculorum Medici ſuper hac concretione commenti fuiſſent, ſi eam, vel huic ſimilem illis videre datum fuiſſet? Hanc equidem ad lati vermis ſpeciem reducere minime potuiſſent , cum quantum faſciis ſubſtantia ſimilis, tantum forma diſpar; quamobrem mihi rarior ſane viſa eſt, quam ut meretetur pulvere , & ſitu perire . Neque minus me illexit ad illam publici juris faciendam, quod etſi polypoſas concretiones in inteſtinis genitas auctores vulgarint ; nullam tamen quæ in Ventriculo concreverit, ac per inferiora detruſa fuerit, deſcriptam, qualem à me viſam fuiſſe autumo, adhuc mihi legere contigit.

III. Superioribus quoque temporibus concretiones haſce, minime infrequentes fuiſſe, nullus dubito : Ita enim ſemper animalium fluida comparata fuerunt, ut facilime in quibuſdam circumſtantiis , concreſcere poſſent , & in ſolida nedum organica , ſed inorganica quoque efformari . Verum illarum mentio, apud Auctores veteres ſub nomine concretionum inorganicarum rara eſt ; Quia ſi quando iſtæ animalis cujuſdam formas , quamvis ruditer

aliter præseferebant, ab externa specie decepti, statim illas vita donabant. Inde tot fabularum, quæ naturalem conspurcarunt historiam, origo; quales sunt, lacertarum; buffonum; ranarum; millepedam; talpæ vomitus; teretes in sanguinis fluento lumbrici inventi; ac nostræ speciei fæmellarum, tot ridiculi, insulsi, monstrosi partus.

IV. Recentiores itaque Observatores, quibus aliquid salit sinistra in parte mamillæ, in illas solertius intimiusque inquirendo; cum eas organis ad vitam necessariis, proindeque vita cassas invenerint; ob mollem quam nactæ sunt substantiam; ob colorem marinis polypis haud multum absimilem; forte etiam quandoque, ob hinc inde diducta, ut polypi solent, bracchia; eas polyporum, ac polyposarum concretionum nomine insignivere. Ob quam similitudinem, etiam sarcoma illud quod nares obsidere solet, polypi nomine, Fabricio ab Aquapendente teste (*a*) vocatum est; quale vitium vetulæ libidinosæ perbelle exprobrabat Venusinus naris emunctæ Poeta: *Nanque sagacius unus odoror*

Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,

Quam Canis acer ubi lateat sus

Nomen hoc itaque nasali sarcomati, & concretionibus iis quæ concrescunt in vasis sanguiferis, inditum, absque eo quod ab hisce

(*a*) In Oper. Chirur. de Polyp.

recederet, ad eas etiam; quæ extra animal, hoc est, extra sanguinis orbem nascuntur, accessit. Ita Lancisius (*a*) ratione optima, polypos intestinales, quia in intestinis genitæ essent, concretiones eas vocavit, quas antea, vel latos vermes, vel membranas simpliciter, ac frusta membranosa vocaverunt veteres. Neque enim ille primus, corpora quædam e podice excreta, compressa, lata, & oblonga, aliquando cava, latum vermem non esse cognovit; cum Platerus (*b*) ante ipsum, ea animata esse negaverit, & fascias membranosas, ex chylo genitas asseruerit. Jonstonus (*c*) etiam aliquando pro verme tænia, membranosam fasciam, cucurbitinos inclusos habentem, cognovit. Lancisii igitur, aliorumque Clariss. Virorum, qui post ipsum tales concretiones polypeas vocare solent, exemplo, & auctoritate fretus, quam mulier excrevit, polyposam ipse quoque vocato; quæ cum meo judicio intra ventriculum genita sit, Polypi Ventriculi nomine, supra indigitare, non dubitavi.

V. At producendæ sunt conjecturæ illæ, quibus eam in ventriculo coaluisse duco, quas e diametro, & figura concretionis potissi-

(*a*) In Differt. de triplic. Intest. polypo.
(*b*) L. 3. Observ.
(*c*) C. 23. Syntagm.

tiſſimum deſumo. Cum enim ex una parte utriuſque membranæ quævis diameter quorumlibet inteſtinorum, ſectione major eſſet, impoſſibile mihi videtur, illas intra inteſtina genitas fuiſſe. Cum vero ex parte altera, ventriculi capacitas eas capere, earumque generationi locum præbere poſſet; inſuperque ventriculi formam præſeferrent; intra ſtomachum concretas aſſerere, haud irrationabile mihi videtur. Quis enim neſcit, liquida, quæ coeunt, modulo in quo concreſcunt, conformari? Ita quoque lentior lympha, & coire apta in ventriculi cavitatem, ex ejus glandulis diſtillans: talem, dum concreſcebat, in figuram ſe ſe effinxit, quam ventriculi modulus conciliare ipſi potuit; plorans etenim ex ventriculi parietibus, ut ſebum, vel cera concreſcens, illos incruſtavit. Quæ Polypoſa concretio, ſi ibi diutius moram traxiſſet, forſitan in quoddam veluti ſubſutum Ventriculi ſe ſe efformaſſet, ac ventriculum in ventriculo repræſentaſſet. Cujuſce rei argumentum probabile ex eo haberi poteſt, quod per binas chordas, ex utriuſque membranæ fundo enatas, ac utriſque membranis colligatas, invicem necti, ſeſeque apprehendere polypeæ membranæ cæperunt; ac fundi, qui illis, & ventriculum repræſentarent, deerat adhuc, rudimenta poſuiſſe videbantur. Ventriculi Polypum hunc fuiſſe, in-

de etiam confirmari posse puto; quod sedatis per opiata doloribus, ac spasmis infimi ventris, remanebat adhuc vomituritio, & anxietas ad stomachum, haud equidem sympathica, cum aliæ lacessitæ, atque irritatæ partes tunc quiete degerent: sed idiopathica, a corpore extraneo ventriculum vellicante. Sic mulier illa, quæ contra Icterum pillulis, & decocto Fulleri usa, diverso liquore plenas vesiculas exclusit: ex stomachi labore putavit, Musgravio (a) referente, illas e stomacho prodiisse. Huc etiam accedit sensus ille, per quem ægra, vivum aliquod animal in stomacho se habere, dicebat, qui vermium suspicioni ortum præbuit: nihil enim aliud fuisse puto, nisi polypi motum, magnam partem a ventriculo divulsi, ibique fluitantis.

VI. Hic fortasse quispiam exquirere posset an non, e chymi reliquiis potius, quam e succis glandulosis Polypus iste concreverit, quod quidem de talibus membranis per inferiora dejectis putavit Platerus, loco citato. Etsi nolim id impossibile ducere, mihi tamen ob quasdam conjectaras probabilius videtur, glandulosos succos, tali concretioni, materiem præbuisse. Prius animadverto cum Lancisio: loco citato, hasce in ulceris cavo Dysentericorum quandoque gigni, quarum chylus

(a) Transac. Angl. T. 3. §. 18.

lus materia non existit. Cujusce concretionis exemplum, antequam Lancisium legissem, primis annis quibus Medicinam faciebam in Nobili muliere mihi videre contigit. Hæc a contumaci, & male curata Diarrhæa ulcere intestini recti laborans, antequam melius se habere inciperet (ope etenim, & consilio Clariss. apud Venetos Medici Leonardi Doro, quem dum Venetiis Praxi Tyrocinium ponerem, una cum Eruditissimo viro Josepho Grandi Ducem, ac Magistrum optima sorte habui, eam sanitati restitui, contra Medici senioris sententiam) frustum membranosum, haud teres, sed longitudine fere unius palmi, ac fætens quod polyposam concretionem, e succis, in ulceris cavum stillantibus, coagmentatam, tunc suspicatus sum. Verum de Ventriculi Polypo præcipue loquendo, dum adhuc chylosa puls in ventriculo moratur, nondum ita subacta est, ut fluidum perfecte ad sensum homogeneum constituat, quale videbatur fuisse Polypi materia: neque enim vim Biliosi, ac Pancreatici succi, quibus perfectior redditur, atque a fætibus secernitur, adhuc passa est; quapropter, similari, ut ita dicam, corpori constituendo, non adhuc mihi videtur apta. Præterea animadverto, ad concrescendum aptitudinem, seu fibrosam ductilitatem, a motu, quo in orbem rapiuntur, nostris fluidis impartiri: cum sanguis,

guis, adeps, narium, & palati mucus, saliva, semen, lympha, aurium cerumen, sebacea materies, articulorum synovia, si sibi relinquantur, concrescant; lac verò, quod si non solus chylus est, tantum non est; corrumpatur, & dissolvatur potius sibi relictum. Quod si, ut explicandis Phænomenis apprime congrua, ita etiam vera sit idea, quam de animalis nutritione protulit sagacissimus Boerhaavius (*a*); non ne fatendum erit, a motu, quo in gyrum rapiuntur, fluidorum moleculas, tomentosas, plicatiles, cohæsionique aptissimas reddi? Quin ex butyri confectione evincitur, motu lac indigere, ut concretioni disponatur, cum ope pressionis, & percussionis solummodo, butyri fibrosum corpus e lacte emergat. In Plantis etiam res ita se habet: Manna siquidem, & Mel, fibrosæ, ductiles, glutinosæque substantiæ, succorum magis elaboratorum, eorumque, qui etiam minimorum foliorum canaliculos sæpius pervaserunt, sunt soboles. Postremo animadverto, quod si injecto coagulo lac concrescit, in offam quidem duriorem, informemque abeat; moduli vero in quo coit, formam non assumat, nisi illum, ut in confectione casei succedit, adæquate impleat. Sic Phthisicus ille, de quo fit mentio apud Bonetum (*b*) qui dum

(*a*) Æconom. anim. 451. 452.
(*b*) M. S. T. 2. l. 3. sect. 12. c. 6.

dum lactea utebatur diæta; ab Empirico, ad ventris inflationem tollendam, suasus, spiritu salis usus est; non jam fibrosum, molle, membranaceum, polyposum corpus, sed caseum optime efformatum vomitu rejecit. Ego suspicor, quod quæ e chymo in ventriculo concrescunt corpora, haud mollioris, sed solidioris substantiæ sint, quemadmodum lapides Bezoartici; pilæ in boum ventribus inventæ; stramina concreta ostendunt; proindeque calculorum in ventriculis hominum inventorum, chylum materiam esse puto; molliorum verò concretionum, e ductilibus fibris, quasi telæ confectarum, succos e sanguine secretos; quoniam fluida nondum fibrosa, indurescunt, dum coeunt; quæ verò fibris donantur, molliora remanent, atque in membranaceas texturas extendi possunt. Quam a fibrosa ductilitate dependentem glutinositatem, plerisque illorum fluidorum inesse, quæ in orbem rapta fuerunt, necesse est: qui enim pars parti apposita cohæreret, atque assimilaretur, nisi aliquo glutine donata esset? Eam vero præextitisse in chylo opus minime est; cum non immediate solidis partibus, sed sanguini primo, & potissimum restitudendo a natura destinatus sit. Verum hæc levium solummodo conjecturarum momenta sunto.

VII. Illud quod mihi certius asserere posse videor, est, quod concretio de qua huc us-

que verba feci, intra ventriculi cavum genita, ac perfecta sit; deinde ob ventriculi tunicaram crispaturas, & convulsiones, purgantisque vim, a parietibus quibus adhærebat, divulsa; in glomum postea redacta, ob ejus mollem, facillemque substantiam, canalisque intestinalis compressionem; tandem excreta, *lubrica dejectis quæ via nota cibis*, historiæ forte novæ nomen dederit, polypusque Ventriculi per anum protrusus jure appellari potuerit.

VIII Morbum huncce pro colica hysterica, habui; cujusce pathognomonica signa, intestini colon dolor; vomituritio; præfocatio; glomi sensus per abdomen reptantis, & cardiogmos mihi fuere. Ita enim putabam, nedum innixus generalioribus, comunibusque affectionis hystericæ tum antecedentibus, tum concomitantibus signis; sed etiam Hippocratis Angli Syndenhamii (*a*) auctoritate fretus, qui veluti peculiaria hujusce affectus signa, dotorem atrocissimum, circa scrobiculum cordis, & humorum corruptorum vomitu rejectionem ponit. Quæ morbi idea mihi suggerebatequidem putridam, indigestamque cacochyliam, ob animi pathemata, vitamque sedentariam accumulatam: ac duras, salinas, stimulantes particulas, a meri potu in humores elutriatas, quæ vellicando, & pungendo,

(*a*) Procef. integr. de Col. Hyst.

do, mesenterii, stomachi; partiumque adjacentium fibras, in crispaturas, distensiones glomos, convulsiones, adigerent; verum polyposam concretionem, ne somniabam quidem, cum tamen eventus, ab ea symptomata omnia ortum traxisse satis evicerit. Itaque Hippocratis (*a*) magnorumque Hippocratis discipulorum Martiani (*b*) & Ballonii (*c*) monitum, exemplumque sequebar: a magnis doloribus divexatos, non esse purgandos, nisi dolores siluerint; totusque eram in membranis distentis, demulcendis, ac doloribus sedandis, donec aptius purgationi tempus elucesceret. Purgationem vero præ vomitu, animo volvebam, quia Ventriculus irritatus, cum periculo inversionis peristaltici intestinorum motus, conferens locus evacuationi, haud mihi videbatur. Eam deinde, cum mihi se se obtulit occasio, moliebar; sed additione laudani, aloes, & Mercurii vim retundebam, ne totis suis viribus, in membranas distensionibus obnoxias irruerent purgantium spicula. Ob id tardius, ut jam prævisum fuerat, sequebatur purgatio: verum cum polypus a vi medicaminis exagitatus, licet ægre, tandem a membranis quibus adnascebatur, divelleretur, sequebatur partium

exa-

(*a*) sup. tex. 116. l. 2. de morb. mul.
(*b*) De rat. vict. in acut. tex. 64.
(*c*) L.2. Epid.

exagitatarum, aliarumque cum illis comuni-cantium labores, doloresque. Quibus tandem ab haustu paregorico sedatis, ob intestinorum inde natam relaxationem, variegatæ, ac fætidæ materiei sequebatur excretio, quæ ab intestinis, eorumque glandulis secreta jam erat, detinebatur autem ob membranarum intestinalium spasmos, corrugationesque: a qua mora in intestinis atque agitatione, forte variam superficiem, ac ulteriorem corruptionem, nacta erat. Porro post luctam difficilem, polypo a membranis divulso, atque adoloris cessatione, naturali peristaltico motu intestinis restituto, quin aucto eorum expulsivo robore a vino cerasorum, in glomum redigebatur concretio, paulatimque ad podicem, a quo cum ructu disruptorum intestinorum exiit, protrudebatur.

IX. Talem exitum lati vermis proprium asseruit Hippocrates (a) *Si quis curet hominem, latum lumbricum habentem & medicamentum dederit, aut potionem: siquidem fuerit homo bene præparatus, totus rotundus factus, ad pilæ formam exit*. Quæ in glomum complicatio, cum ex una parte membranoso corpori facilime accidere possit; ex altera vero latus lumbricus, qui antiquis imposuit, nil aliud esse potuerit, nisi polyposa concretio, vel cucurbitinorum series, & catena, cor-

nicu-

(a) 4. de morb. tex. 27.

niculis, quæ poſſident, inter ſe mutuo nexorum, quemadmodum ante Valliſnerium, qui rem, facta analyſiunius catenæ, demonſtravit, plerique e veteribus cognovere, & Olaus Borricchius (a) ex quadam obſervatione aſſeruit; puto, id, quod magnus Hippocrates latum vermem vocavit, inteſtinalem polypum ſolummodo fuiſſe. Porro attente rimatus ſum, an intus cucurbitini laterent, quia ex Hippocrate, loco citato, Jonſtono (a) Lanciſio (b) ac Valliſnerio (c) hiſce tæniis, quandoque includi, dicti vermes aſſolent, atque aſſociari.

X. Verum, antequam colophonem huic appendiculæ imponam, adnotabo, Practico quoque longe celeberrimo, Riverio, caſum huic meo ſimilem, ſub hyſtericæ affectionis larva, impoſuiſſe, in uxore cujuſdam Domini Salgues, quæ a ſymptomatibus hyſtericis non curabatur, niſi poſtquam excrevit, *materiam quandam pituitoſam, compactam, & latam, faſciæ inſtar, palmi longitudine* (d). In modeſtiſſima quoque Vidua, Beckers referente (e) hujuſmodi membranoſum corpus impoſuit, modo ſub larva arthritici, modo colici, modo hyſterici doloris: quod miror Beckers ſuſpi-

(a) C. 23. Syntagm.
(b) De tripl. inteſ. polypo
(c) Orig. de vermi dal Corp. hum.
(d) Centur. 1. 69.
(e) Apud Bonet. T. 2.M.S. Paraleip. T.3.ſect.15.Obſ.4.

ſuſpicioni locum dediſſe ; an revera cæcum inteſtinum divulſum, ac per podicem excluſum fuerit.

XI. Hinc animadvertere liceat, quanto adhuc diſtet intervallo a ſua perfectione morborum dignoſis : quantumque poſt tot ſæculorum Obſervationes, exantlatoſque ab eximiis viris, in rebus medicis promovendis, labores, Medicorum pectora, cæcæ adhuc noctis habeant: cum iidem effectus, vi quorum ad morbi cauſæ notitiam devenimus, a diverſiſſimis, neque excogitatis cauſis, originem trahere poſſint. Jure igitur, ac merito ab Medicorum prudentiſſimo Hippocrate prolatum eſt, ut poſteri animadverterent, raram eſſe *certitudinem exactam in Medico* (*a*) quodque principium ſanationis demonſtratum quidem non eſt, quod ſane recte principium ſit univerſæ artis, neque ſecundum aliquid, neque ſecundum medium, neque finis. (*b*

G O:

(*a*) De Veter. *Medic.* tex. 56.
(*b*) 1. de morb. tex. 8.

GONORRHOEÆ METASTASIS

Ad pulmones, lethalis

OBSERVATIO II.

C.

VIr advena, quinquaginta annos natus, satis robustus, vino indulgens, laborique minimè parcens, dum sacilum pertransiret, declinante autumno, febri corripitur, meque vocat, ut illi Medicinam facerem. Cum accessi, a tribus diebus febri laboraverat mitioris æstus, atque ad lentæ naturam accedens, cujus ut ex toto, integritatem; sic exacerbationes minime noverat. Symptomata graviora, erant ventris inflatio, & propensio ad vomitum. Itaque, cum putarem ab erroribus in vitæ regimine ægrum solummodo laborare; præscribo ad vomitum sollicitandum decoctionem foliorum assari, cum amygdal. dulc. oleo: succedit vomitus feliciter, variegatæ materiei, febrisque postridie cedit; ægerque iter suum prosequi volens, dato sostro, me a visitatione dimittit. At post duos dies, cum credebam illum jam longius abesse, ma-

F gna

gna sollicitudine, horis postmeridianis accersior, ægrumque invenio male admodum a laboriosa orthophnæa se habentem, cum pulsu parvo, debili, ac frequentiore. Genæ roseæ erant; oculi exerti, ac rubore suffusi; lingua, faucesque asperæ: quæque cum summa difficultate expuerat, viridi quasi colore, inficiebantur. Ego a morbi improviso, lethalique insultu, non tam in admirationem raptus, quam territus; quæro quid causæ fuisset, per quam a sano, ut illum reliqueram, adeo in levi loco modo consisteret. Suspirosus ille respondit: se ante septem menses, ab impuro coitu gonorrhæam contraxisse, morbumque neglexisse, qui ex se ante mensem cohibebatur. febri postmodum laborasse, a qua ante duos dies, vomitorio illum curaveram: nocte antecedente, a somno cum plusquam mediocri difficultate respirationis excitatum fuisse; quæ cum usque increbuisset, me in auxilium vocare denuo cogebatur: & *sinum lachrymis implevit obortis*. Statim haustus copiosos ex emollientibus impero, tepide hauriendos, qui interpolatis vicibus acuebantur solutione spermatis cæti, in syrupo de Erysimo Lobellii, ac hydromelle; cum additione spiritus salis ammoniaci anisati; at nullo fructu. Præcipio item, ut frequentes ex mollientibus fotus; pectori, dorsoque inter scapulas, in vescicis suillis apponerentur; sed frustra. Tunditur brac-

chium

chium dexterum: Gerræ. Mane sequenti exhibetur potio cathartica, quam solutivam magistralem vocamus, in cujus infusione radices Hellebori nigri, Polypodiis Quercini, salsæ, Helenii, atque imperatoriæ, incoquebantur; at alvus non solvebatur. Ob id indictis, festinanterque peractis sacris omnibus, iniicitur clyster egregie purgans; sed sedes non duxit. Respiratio sublimis fit; ægerque, post duas horas, emoritur, lingua; ac faucibus asperis, viridibus, ac duris.

II. *Turpis est calamitas medicamento purgante dato, hominem occidere*, ait Hippocrates (*a*) subditque Ramazzinus; (*b*) *& etiam si detracto sanguine paulo post intereat*. Verum eventus hujusce mali, haud me pudet; cum sanguis emmissus, purgansque exhibitum, hominem utique præ morbi violentia, e mortis manibus surripere non potuerint; etenim *interdum docta, plus valet arte, malum*, illi autem, utpote cum ratione administrata, necem festinare minime valuerint. Ratione causæ morbi sanguinis missio haud equidem expostulabatur; at ratione urgentis symptomatis, imminentisque suffocationis, absque omissione culpanda non poterat non institui. Baglivus ex Hippocrate, ait, in respirationis (*c*)

F 2 diffi-

(*a*) de Medic. purg. tex. 3.
(*b*) Constit. Epid. urban. p. m. 36.
(*c*) Prax. l. 2. de asthm.

difficultate tundendam esse venam; si æger etiam hydrope laborarit: Quanto magis si syphilide, in qua non adeo, ut in hydrope suspecta est sanguinis emissio. Celebris Practicus Ettmullerus (*a*) venæ sectioni cæteroquin non multum addictus, fere semper in catharro suffocativo eam necessariam putat: in asthmate quoque, si sanguis in Pulmonibus stagnet, ab ea liberiorem circuitum conciliari, ait. Quin irritis expectorantibus, attenuantibus, fotibusque; quid ægro præstari poterat, ut quaqua via, e mortis faucibus illum eripere satagerem? Melius anceps experiri remedium, quam nullum, cum celso duxi; quod cum in casu unicum esset, nihil interesse putavi, an satis tutum esset, quod unicum foret. Itaque in præcipiti periculo, sanguinis missionem instituendam duxi, quam alias ratione causæ morbi, omisissem. Quod vero ita præceps foret periculum, frustranea potionis exibitio, clysmatisque injectio demonstrarunt; cum notante Clariss. Boerhaavio (si dicto auctori, opusculum, de remediorum facultatibus adjudicandum sit) medicamenta in cadaver non agant.

III. *Pars altera, alteri morbum inducit*, ex Hippocrate (*b*) idque probatione non indiget.

[*a*] Colleg. Pract. l. 1. sec. 14. c. 4. & sect. 13. c. 3.

(*b*) De Loc. in hom. tex. 2.

diget. Verum enim verò, quanquam *consensus unus*, *conspiratio una*, *consentientia omnia*, quia ut idem ait, *qualibet corporis pars omnia habet qua*, *& maxima* (*a*); nihilominus quasdam inter corporis nostri partes, quædam magis peculiaris communio intercedit, ut quodam veluti familiaritatis jure, una alteri proprias affectiones impartiri videatur. Peculiaris vitæ consensus inguen inter, pectusque viget. Vocis gracilitatem ab testium varice solvi, observavit Hippocrates, solutionemque testium tumoris, a mammarum elevatione contingere annotavit (*b*): *qua res*, ut idem alibi protulerat, *commonefacit nos comunionis pectorum*, *mammarum*, *genitura*, *vocis* (*c*). Iste consensus conspicitur etiam in venere lue: Observavit Baglivus (*c*) sterni dolorem, contractæ luis signum esse; quod multo ante Baglivum, notatum fuerat a sui ævi Celeberrimo Practico Saxonia, qui de venereis doloribus loquens, ait: *pracipuè vero afficiunt ossa furcula pectoris quinimmo universum Thoracem* (*e*) An ob solum hunc consensum gonorrhæa in casu, a malo vitæ regimine retroacta, ad pulmones decubuerit; an a

(*a*) Ibid. tex. 3.
(*b*) 2. Epid. sect. 5.
(*c*) Ibid. sect. 1.
(*d*) Prax. l. 1. de morb. gland.
(*e*) In Tract. de lue Vener. c. 19.

vi vomitionis illuc abrepta fuerit, prudentioribus, sagacioribusque inquirendum relinquo. Scio quidem ad vasa pulmonalia hærentes humores, vi vomitionis potentissime solvi, ac deturbari; num vero eadem ratione liquida tenacia in pulmonalia vascula, quæ suæ crassitiei ratione pertransire nequeunt, vi adigantur; haud equidem affirmare ausim. Certe casus iste facit, ut hac super re attentior observatio instituatur. At præstat Magno Praxeos Magistro hic morem gerere; qui postquam de morborum successionibus, prout sursum, vel deorsum abscessus fecerint, loquutus fuit, subdit: *consideranda sunt hæc, quo, & unde, & propter quid* (a). Nitamur igitur aliqua afferre, quæ si forte non vera, veri saltem similia sint nostrique ævi naris emunctæ Medicis, fortassis non displicitura.

IV. Si humorum e parte ad partem decubitus, nervis mediantibus efficeretur, quemadmodum per nervos stimulus, & distentio, e loco ad locum defertur; facilimum esset hujusce a partibus genitalibus ad pectus, & e contra peculiaris decubitus rationem reddere. Verum cum nervi ex una parte crassioribus liquidis continendis nati non sint; atque ex altera varicum ad testes; tussis ad pulmones; testium tumoris; mammarum elevationis, quæ materialis causa est, crassior existat; hanc per nervos

(a) 6. Epid. sect. 2.

nervos ire, redire non posse, cuique notum est. Sequitur igitur, ut per cruoris, vel lymphæ vasa dicta morborum transmutatio perficiatur.

V. E pectoris specu ad mammas, tum venosa, tum arteriosa vasa ex axillaribus, & subclaviis, emergunt, quæ abdomen versus protensa, ibi cum Epigastricis vasis, quæ cum iis quæ ad inguina in sexu utroque repunt, communicant, arteriæ arteriis, venæ venis, inosculantur. Si igitur quæ e pectore emergunt arteriæ, aliquid morbosum secum e pectore afferant; illud per Epigastrica inguinalibus vasis infundere poterunt, unde ab inguinum morbo morbi Thoracici solutio. Si item inguinales venæ Epigastricis mediantibus, axillaribus, subclaviisque, quæ morbum in inguine faciebat, materiam communicent; hac ad mammas decumbente, qui ad inguen erat morbus, solvetur. Ob id summus observator, idemque rationi addictissimus Hippocrates, nedum, e statu mammarum uteri statum dignoscendum docuit: *Si papillæ mammarum, aut rubor pallidus fuerit, morbosum est uteri vas* (*a*); sed nimium sanguinis ex utero fluxum, cucurbitula ad mammas posita, compescendum, summa cum ratione præcepit (*b*). Ista Thoracicorum cum genitalibus vasis communio,

(*a*) 6. Epid. sect. 5.
(*b*) 5. aphoris. 50.

mire etiam illuſtratur, a binis Volckameri Obſervationibus (*a*) apud Bonetum. Mulieri cuidam e muliebri rima, carunculæ propendebant: adnaſcitur egræ in collo tumor, qui apertus, eundem, quem carunculæ continebat humorem. Ut melius ſe habebat uterus, benignius & colli ulcus ſe habuit; novo inferius recrudeſcente morbo, & ſuperior recruduit, atque ab utroque ſimul mulier convaluit. Alteri mulieri exſectus uterus: eo exſecto convaluit ab ulcere quod collum male habebat, quodque eumdem fætorem olebat, quem morboſus exſectus uterus. Scio quidem Clariſſimo Warthono (*b*) hanc ab utero ad mammas translationem, mediantibus mammariorum cum Epigaſtricis anaſtomoſibus, fabulam eſſe; nihilominus haud ita me movet ejus auctoritas, ut Boerhaavio adverſer (*c*) eam ex Nukio aſſerenti. Hanc itaque unam eſſe viarum puto, per quas pectus inguini, inguen pectori morbos viciſſim communicant.

VI. Per hanc virus quoque Venereum ab inguine ad pectus tranſire poteſt, Verum cum ejus metaſtaſis ita ſemper cita non ſit; via difficiliore ad pectus decumbere haud temere ſuſpicari datur. Huc accedit, quod ita ſanguis a lue ſtatim inficeretur; quod tamen non evenire puto, niſi cum ad ſummum ſuæ poten-

(*a*) T. 2. M. S. l. 4. ſect. 2. Obſer. 8. 21.
(*b*) Adenograph. c. 36.
(*c*) OEconom. animal. 666. 687.

tentiæ devenerit virus, ſive ob curam neglectam, ſive ob vim majorem vincleati minſmatis; ſi enim ſanguinem ſemper inficeret, funera cumularet, cum illum, in polypoſas concretiones condenſare ſolent, ut conſtat ex Nicolai muſiæ Obſervationibus, apud Bonetum, in Sepulcreto *(a)*. Quin obſervanti patet, luem Veneream albos potiſſimum ſuccos inficere; mucus etenim, & mala pituita naſi, qua infecti exercentur, id oſtendunt. Oſtendunt id etiam tumores Venerei, qui liquida a ſanguine rubro aliena continere ſoleat, nec facile, ut phlegmones, ſupperantur; Celtica item febricula, quæ inſectos male excipere ſolet, earum naturæ eſſe videtur, quas Medici lymphaticas appellare conſeverunt. Si igitur viam qua virus Venereum liquida circumgyrantia inficiat, atque ad pectus decumbat, ut Saxonia ex Baglivus notarunt, paucis attigero; aliud iter, quo inguen pectori morbos comunicare poteſt, explicuero.

VII. Quamquam ſuccus lymphici, vel ad lymphæ naturam accedentes, qui copioſe partes genitales irrigant, non ſuaderent vaſa lymphatica copioſe ad dictas partes deferri; penis lymphæ ductus a CoWpero, & Drackio delineati *(b)*; Williſy *(c)* aſſertio, dicentis, plures lymphæ ductus ab hiſce partibus, quam

ab

(*a*) T. 3. l. 4. ſect. 9. Obſerv. 1.
(*b*) Apud Heiſt. in c. a. 252.
(*c*) De anima brut. c. 5.

ab quavis alia exoriri; quique in animali vivo copiose perreptantes videri possunt, id cuicumque suadere posse existimo. Hinc fit, ut si aliquando, quod ad canaliculos urethræ majores, aut ad alia illic sita emunctoria hæserat malignum, ac vere fermentativum miasma gonorrhœam efficiens, per lymphaticas venas resorbentur; prout eæ ad testes, vel inguinales glandulas pervenerint; vel venereos bubones, quod magnis viris CoWpero (*a*) & Boerhaavio (*b*) placuit; vel dolentes, sæpissimeque inflammationis testium tumores excitet. Ob hanc celtici virus per lymphæ ductus absorbitionem, fit, ut lympha citius præ sanguine celticam vim experiri cogatur, quemadmodum supra evenire, adnotavi, e muco infectorum; e natura venereorum tumorum, & febricula, quæ infectos exercere solet. Posito itaque quod syphilis nondum sanguinem rubrum infecerit, sed succis lymphaticis vitium solummodo induxerit, Thoracem, pulmonesque ab ea conspurcari præ aliis partibus, si non necessarium, res certe longe facilima est. Etenim cum copiosissimi per Thoracem aquæductus repant (mammæ siquidem Warthono (*c*) asserente, hujusmodi canales, & valde numerosos; plura; mediastinum. Thymus; Diaphragma ex Nuckio (*d*); Pulmo;

(*a*) Apud Morgagn. advers. 4. 22.
(*b*) Aphor. 1448.
(*c*) Adnogr. c. 36. (*d*) Apud Heist. c. a. 357.

mo; Pericardium (*a*), obtinent) per hosce; haud in parva copia venenum celticum ad pectoris partes transducetur. Haud me latet aquæductuum continuationem, lymphæque cum lympha immediatum circuitum ex anatomicis, non adhuc constare, unde aliquis obiicere posset, me precario adstruere ex lymphaticis iis, quæ ad inguina repunt, virus venereum ad pectus transferri. Ego vero reponam, neque contrarium ex Anatome patere, patere vero ex praxi, Gallicos tumores, Gallicamque febriculam, ut plurimum lympham pro materiali causa habere, qualis, qualis sit modus quo hæc fuerit infecta. Cum constet itaque hanc potissimum inquinari, eamdemque copiose Thoracem rigare; haud alienum a probabili erit, ob id maxime pectus Gallicam virulentiam sentire, quia in illud magna materiæ infectæ copia influit. An non, ut sanguis sic quoque lympha a Pulmonum prælo immutari opus habet, ut sanguini, chymoque dilutior, proindeque commodior accedat. Suspicio ista, haud equidem ita a ratione abhorret, ut sagacissimo, atque ut in omni medicina, sic in Physiologicis versatissimo, Doctissimoque Boerhaavio in mentem non venerit. Scripsit iste dubitatorio modo; *& forte Sympha hic, ut de sanguine demonstratum,* *mu-*

(*a*) CoWper. apud eund. 261.

mutata in suis organis, in venis diluitur (*a*)

VIII. Tali itaque lympha pulmonici aquæductus infecti; si eam, ubi inter lobulorum interstitia intervatur ex Willisio (*b*) vasculis rete Malpighianum efformantibus, infundant; sanguis illic condensabitur: hic cruori pone succedenti impedimento erit: inter obstructionis locum, & ventriculum dextrum sanguis reliquus accumulabitur; pulmo replebitur: neque ob id eo se satis explicante, & contrahente, respiratio parva fiet etiam frequens ob continuam necessitatem stagnantem sanguinem urgendi, & dimovendi. Sanguinis copia minor in Ventriculum sinistrum influet: inde cor minorem sanguinis copiam per arterias, trudet, & pulsus fiet parvus: debilis etiam, celerque, quia cordis coronariæ, haud satis sanguine inflatæ, quod satis est roboris cordi, ut fortiter se se contrahere possit, non communicabunt, idemque de aliis potentiis sanguinem impellentibus dicendum erit; unde vix ad arterias se se applicante sanguine, pulsus debilis celerque evadet. Erit etiam frequens, quoniam ex Pulmonum agitatione, & angustia, nervi quoque Pneumonici irritati, pari vago (si intercostalis conjugatio in homine e thorace exeat, nulla cum Thoracicis partibus habita comunicatione, quemad.

(*a*) Æconom. anim. 2000.
(*b*) Pharmac. rat. l. 2. sect. 1. c. 1.

madmodum ſentit Williſius (*a*) vel vago, & intercoſtali (ſi ut cæteri tradunt, nervi iſti cordi, & Pulmonibus accedant) ſtimulum communicabunt, ex iiſque in cor cerebelloſos ſpiritus frequentius excidere facient, unde celerior cordis contractio, & pulſus. At non exonerante ſe cava in cor dextrum ob Pneumonicam arteriam ſanguine nimis repletum; neque ea quæ per faciem, & oculos reptant vaſa, in cavam exonerabuntur; qua propter in facie ſubſiſtente ſanguine, hæc rubore infecta apparebit, oculique præ ſtagnante ſanguine turgidi, extra orbitas ſtare videbuntur. Porrò tali in ſtatu conſtituto animali, ſumma orthophnæa ſuffocabitur; quam ut vitet, manibus, ut ita dicam, pedibuſque nitetur; ac elevatione ſcapularum, Pulmoni turgido, ſive ex vi, ſive ex animo, ſpatium capacius procurabit; ſeu quod idem eſt, reſpiratio ſublimis fiet. Cui, ſi malum non cedat, ſuffocatio, ac mors ſuperveniet. Quid quod ita ſe habente ægro, nulla amplius ſpes vitæ ſupererit, ac quilibet labor fruſtra cedet? etenim cum ab humorum circuitu, ſeu vitæ vi, ea quoque facultas pendeat, quæ medicaminum vim excitat; tali in caſu, circuitu per vaſa minima obliterato, quæ ex hiſce texuntur tunicæ, emortuæ jam erunt, unde nulla Medicaminum actio, cum hæc in Cadaver non

(*a*) Nerv. Deſcript. c. 25.

non agant. Frustra quoque sanguis mittetur, ob Pulmonarem circuitum impeditum, sublato venosi, cum arterioso cruore, commercio. Ex supra descripto animalis nisu ; & vasorum superiorum repletione, aliquid subtilius per tunicas non poterit non exprimi ; quod cum cæteroquin tenacius, ut natura ejus est, esse debeat; fauces, linguamque quantum sat est, minime humectabit, quæ inde asperæ evadant, easque eo colore inficiet, qui suæ densitatis denotat gradum. Porro, Hippocrates, sputa cum virore pallida, pro summe inconcoctis habere solet : Neque faucium linguæque asperitati, quæ per salivæ canales naturaliter lympha excernitur, in subsidium venire poterit ; qui enim naturalis excretio partibus in iis fieri potest, ubi humorum circuitus ferme compressus est? Sic laborasse ; sicque diem suum ægrum meum obiisse, haud a probabili alienum duco ; quem morbum Gonorrhœæ ad Pulmones metastasim vocavi, de natura morbi, non de nominibus sollicitus ; cum horum in Praxi numerus, jam eo excreverit, ut potius cognitionem perdat, negotiumque Tyronibus facessat, quam scientiam parint, aut ægris adiumentum afferent : Ea namque est rerum quoque medicarum conditio, ut a necessariis primum orta, cuncta deinde venerint ad nimium.

F I N I S.

ISCHU-

ISCHURIA VESICALIS

Convulſiva, feliciter, ac cito ſanata. Examinatur Hippocratis auctoritas de emittendo ſanguine in urinæ difficultatibus.

OBSERVATIO III.

D.

RUſticus gracilioris, ſicciorisque corporis habitus, annorum quinquaginta, vino indulgens, atque ab infantia morbo ſacro obnoxius, ab hoc ante aliquot annos poſt multa adhibita, ferme ſanabatur per fonticulum in femore excitatum. Morbus haud omnino profligatus, fortiores Lunæ aſpectus aliquantulum ſentit; hoc enim tempore, vir leviuſculis nervorum diſtentionibus adhuc corripitur. Dum æſtivo tempore magis, magisque convulſivos pateretur inſultus, erumpunt ei bini parvi tumores ſupra ſpinam oſſis ſacri: Ex tunc, prius aliquali difficultate in lotio reddendo per ſeptem, aut octo dies laborat; demum legitima iſchuria corripitur. Ad illum curandum quarto die ab urinæ ſuppreſſione acceſſi, reſpectu habito ad ægri temperiem, valetudinem, atque ad convulſivos inſul-

insultus, quos hoc tempore crebriores perpessus fuerat, nec non ad locum, unde tumores excitabantur ex eo ischuriam exoriri putavi, quod nervi ad Vesicam pertinentes, qui ibi exoriuntur, unde tumores eruperant, distentione afficerentur, sphincteremque orificii vesicæ musculum tonica vi clausum tenerent. Ob id indicationes sumpsi peculiarem plenitudinem, quæ vi stimuli ad nervorum affectorum exortum fiebat, tollere; stimulantes succos exturbare (neque enim dabantur induciæ ad expectandam tumorum suppurationem) nervosque irritatos, ac janitorem musculum demulcere. Itaque immisso ex emollientibus, demulcentibusque clysmate, sanguinem e pede, ad uncias octo extrahi præcipio; sed magni Hippocratis (*a*) consilium sequutus, venam malleoli internam pertundi curo. Spina inungitur essentia rorismarini, oleo spicæ, succinique stillatitiis, Pubisque regio, ac Perinæum illinitur oleo e scorpionibus Matthioli, desuperque parietaria imponitur, at cochleatim talem consumit mixturam,

℞ aq. succ. Melis. ℥ vj
Liq. C.C. succin. ℈ j. ſ.
Laud liquid. syd. gut. xvj

Vix quatuor mixturæ cochlearia hauserat, cum bis minxit, dolorque ad pubem, ac tensio cessa-

(*a*) 7. aphor. 48. & *6. 36.*

cessavit. Postridie alvus subducebatur flore Cassiæ, cum conserva violarum, ac Tartari cremore; neque inde rediit ischuria: Tumores curabantur a Chirurgo.

II. In acutis, urinas convulsorio modo intercipi haud infrequens est in Hippocrate legere, Ischuriam vero ab nervorum distentione fieri, rarum admodum legitur apud Practicos, & Observatores. Neque enim memini, nisi apud Ettmulerum me legisse (a) hujusce mali causam quandoque esse pertinacem sphincteris spasmum a doloribus abdominis convulsivis, exortum. Cum igitur hæc observatio, ferme novam morbi ideam medentibus obijciat, operæ pretium duxi eam Clinicis exhibere. De facto autem convulsivam fuisse dictam Ischuriam, tum ex iis, quæ ex antecedentibus attigi, cum ex juvantibus; ex exitu morbi ita patere duco, ut ulterius eam prosequi, putem supervacaneum. Unum tamen est, quod hujusce observationis occasione notatum volo; Hippocratis nempe præceptum in urinæ difficultatibus interiores pedum venas secandi. Quod cum rationi haud absonum, apprime consonum mihi videntur: temporis jacturam me non facturum existimo, si circa hoc aliquantulum immorabor, rigidiorique Galeni criterio illud subiiciam.

III. Venæ sectionis in urinæ morbis, tri-

(a) Colleg. Pract. sect. 19. art. 1.

bus in locis meminit Hippocrates. Secundo Epidemiorum, scriptum reliquit: *urinæ stillicidium, venæ sectio solvit* (*a*); in aphorismis vero, postquam meminit venæ sectionis, utrobique internas venas secare præcipit. De venis pedum, quæ secari solent, dubio procul Hippocratem loquutum fuisse, ex eo coniici datur, quod, ut Galenus, Martianusque testantur, laborantibus superioribus partibus, superiores; inferioribus, inferiores venas in morborum curationibus secare, mos apud Hippocratem obtinuerit. Doctrina hæc adeo rationi incongrua Galeno visa est, ut potissimum propter illa verba: *secare interiores*, illam ut Hippocratis dogmatibus minime consonam rejecerit. Verum male omnino, me Judice, cum iis, quæ alibi tradit Hippocrates, optime consonet. Postquam in libro de natura humana (*b*) tum in libro de ossibus (*c*) venarum crassarum historiam prosequutus est; utrobique concludit, poplitæam, & saphænam externas, in dorsi, & coxendicum doloribus; internas vero, lumbis, ac testibus dolentibus, esse secandas: idque ob eam rationem, quod dorsum, & coxendices juxta Hippocratis anatomem, ab externo; lumbi,

& te-

(*a*) Tex. 20.
(*b*) Tex. 20. 21.
(*c*) Tex. 11.

& teſtes, ab interno craſſarum venarum pari, ſurculos habeant. A quo interno pari, cum venas quoque habeat veſica, & partes circumpoſitæ; Doctrinam Hippocratis, principiis congruentem eſſe, in veſicæ morbis internas venas ſecare, cuique patere puto. Sed obiicit Galenus ultimam libri, de natura hominis partem non Hippocratem, ſed Polybum auctorem habere, ob idque craſſarum venarum anatomen ibi traditam, minime Hippocrati eſſe adſcribendam. Quamvis ego ſciam dictarum craſſarum venarum hiſtoriam, ab Ariſtotele (*a*) qui eam improbat, Polybo adjudicari; nihiloſminus, eam Hippocratis eſſe, quæcumque ea ſit, contendo. Atque ut miſſum faciam librum de natura hominis, ubi haud cohærenter iis, quæ ſuperius auctor attulerat, hæc anatomes traditur; ex profeſſo hiſtoria hæc deſcribitur in libro de oſſium natura, quem Hippocratis doctrinam continere, ex eo noſci datur; quod anatomicas venarum deſcriptiones alibi ab Coo traditas, ab hoc libro deſſumptas eſſe, facile ſit judicare. In libris Epidemiorum (*b*) quod, & Martianus (*c*) contra Galenum annotavit venæ hepatitidis appellatæ, diſtributionem tradit: quæ deſcriptio, in libro quoque de oſſibus, habe-

G 2 tur.

(*a*) L. 3. de Hiſt. animal. c. 2.
(*b*) 2. ſect.
(*c*) Sup. lib. de nat. hom. tex. 20.

tur. Primo de morbis (a) ſplenitidem venam, atque hepatitidem ut Pleuritidis explicet ideam, delineat, quæ deſcriptio in libro quoque de oſſibus proſtat. In libro de internis affectionibus, quem Hippocratis genuinum putat Galenus (b) in morbi (c) deſcriptione magnarum venarum cavarum, eandem craſſarum venarum hiſtoriam proſequitur. Hiſce poſitis, erit adhuc dubitationi locus, num dicta Anatomes Hippocratem habeat auctorem nec ne? Cum ergo quæ de internarum venarum ſectione in urinæ difficultatibus præcipit Hippocrates, venarum hiſtoriæ ab ipſo traditæ, conſonent: cur, aut quomodo, internarum venarum ſectionem, Hippocratis dogmatibus minime conſonam putarit Galenus, non video,

IV. Nunc quoniam dictam Doctrinam ſuo Auctori contra Galenum adjudicavi, reſtat, ut eam Hippocrate dignam, rationi nempe conſonam, contra Clariſs. Tozzi, demonſtrem; qui in ſuis, optimis, cæteroquin, ſuper aphoriſmis commentariis (d) minime rationalem illam putavit. Caveſis tamen credas, in quibuslibet urinæ difficultatibus venas ab Hippocrate pertuſas; neque enim adeo ſtipes fuit Magnus vir, ut cauſas, in cavitate veſicæ hærentes,

(a) Tex. 23.
(b) In 6. aphor. 27.
(c) Tex. 19.
(d) Ad 36. 6. & 48. 7.

hærentes, per venæ sectionem educere tentavit. Id solummodo ab eo factum puto, cum vitium in substantia vesicæ, ejus collo, partibusque circumjacentibus est. Quæ omnia nedum clare patent ex libro de affectionibus (a) ubi, ait, urinæ stillicidii modos multos esse, & omnigenos, nihil de sanguinis missione scribens, sed per mollientia, & humectantia, urinam cientia, doloremque sapientia Medicamenta curationem absolvens; sed etiam rationabiliter coniici potest ex iisdem aphorismis, ubi venæ sectionem urinæ difficultatem tollere dixit: Ait enim, *vinum epotum, & venæ sectionem morbum tollere*. Num contra eandem morbi causam valebit vinum epotum, & sanguis emissus? Haud ædepol ita esse mihi videtur; sed vinum præberi ad digerenda, ut penetrantior est, & urinam ciens, quæ in vesica crassiora, difficultatem pariunt; sanguinem vero mitti ad solvenda, ac deturbanda ea quæ intra vesicæ substantiam, aut circa vicinas partes reptantia, inflammationem, orificii strangulatum, paralysin, convulsiones, excrescentias efficiunt. Sic cum scriptum reliquit, lippitudines tolli a meri potu, balneo, fomento, venæ sectione, medicamenti potione (b); non eandem semper morbi causam, nec idem morbi tempus sem-

(a) Tex. 29.
(b) 6. aphor. 31.

per respexit; quod & si in aphorismo non explicuit, quia aphoristicæ sententiæ brevitas, per hæc excurrere respuebat; nihilominus attendenti, ad ea respectum magnum virum habuisse, in propatulo est; ut non satis mirer, cur Celsus in talem aphorismum ita animadverterit: *Curare vero oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, fotu, vino, vetustissimus Auctor Hippocrates memoriæ tradidit. Sed horum tempora, & causas parum explicuit, in quibus medicina summa est* (a); Nunc ego averem scire, an non sanguis emmissus, nisi virium robur, aut alia prohibentia obstent, dicta vitia auferre, & minuere, ac quidem cito possit. Nullus dubito, quin si Erasistratæos, aliosque phlebothomiæ osores exceperis, reliqui e Medentibus mecum sentire debeant, phlebothomiamque, Magno Hippocrate Duce, ubi adsit indicatio, utilem oppido in vitiis urinæ ducant Phlebotomiam, inquam, ratione morbi causæ celebrandam; cum ratione symptomatum, doloris, nempe, tumoris, sitis, ac febris inflammationem minitantis, tunc etiam celebranda sit, cum in cavo vesicæ, aut calculus asperior, aut alia quælibet causa morbum creet.

V. At nunc mihi illud animadvertere liceat, quod nescio, an a Practicis huc usque satis animadversum sit. Ajunt equidem inter

(a) l. 6. c. 6.

ter ſtranguriæ cauſas eſſe humores acres in veſica productos ; at horum humorum geneſis clariorem ideam nobis minime obiiciunt. Mihi itaque ſæpe animo ſubiit, an non vitiata ſecretio illius humoris qui e glandulis nerveæ internæ veſicæ tunicæ extillat, veſicam irritando difficultatem urinæ quandoque non pariat? Sic ab acriore lympha per glandulas Epiglottidæas, aritenoideas, trachæales ſecreta, muſcularibus trachææ fibris criſpatis, & homo ad tuſſiendum ſubinde impellitur, & reſpiratio vitiatur. Forte etiam omnino ſublata quandoque muci veſcicalis ſecretione, contra irritantes urinæ ſales, nuda veſcica exponetur, vitiumque in lotio reddendo manifeſtabitur; quæ omnia ab Clariſs. Heiſteri (*a*) adnotatione illuſtrari videntur, qui animadvertit glandulas dictum mucum ex Graaffio, & Dracke ſecernentes, circa veſicæ collum magis conſpicuas apparere, ubi nempe mejendi ſtimuli ab ſtranguriosis percipiuntur. Omnia hæc non ita a ratione abhorrentia mihi videntur, ut ea ſæpiſſime contingere non credam; potiſſimum quia Cous Senex inter morbos, qui ſenes corripiunt, quos a defluxionibus cum tuſſi; ab articulorum doloribus; a totius corporis pruritu; aliiſque morbis, ſive a craſſo, ſive ab acri phlegmate provenientibus tentari dixit, urinæ quoque ſtil-

(*a*) C. a. 222.

licidia, difficultatesque numeravit. Quin Praxis quotidiana ostendit, senes eos potissimum stranguriosos fieri, qui mucis, seu lympha acriore scatent. Quæso nunc ego: sanguinis detractio, indicatur nec ne a secretionibus vitiatis? Solet nec ne eas in ordinem redigere? Si ita est, cur illam igitur in urinæ difficultatibus sæpissime indicari non concedemus, quæ bonam partem a muci vesicam oblinientis secretione vitiata proveniunt? En igitur, quod sive a causis extra vesicam, ratione causæ; sive a causis in vesica stabulantibus, quæ inflammationem tamen minitentur, ratione effectus, nisi prohibentia adsint, sanguinis detractio sæpe indicatur: & quod jure merito melioris Praxeos Magister Hippocrates, quidquid contra graxit Galenus gamclus, & venæ sectionem urinæ difficultatem tollere ter scriptum reliquerit.

VI. Nec minus rationabiliter interiores venas secandas præcepit. Rationabiliter, inquam, quia anatomico principio innixus: quod & si anatomes hodiernam splendidissimam lucem non ferat: nihilominus ita optima fors tulit, ut quæ inde magnus senex deduxit, nedum non adversentur, sed optime stare possint cum iis, immo ex iis fluunt, quæ de cruralium venarum distributione recentiores tradiderunt, Magnusque Bellinus, Pitcarniusque de sanguinis missione scri-

ſcriptis conſignarunt. Quod antequam demonſtrem, uno ſuppoſito, duo alia probanda ſunt.

VII. Suppono prius, quod dum indicatur in urinæ difficultatibus ſanguinis miſſio, indicetur ſanguinis per veſicæ corpus, parteſque circumjacentes ſtagnantis, vel lenteſcentiæ, dimotio. Si igitur hypogaſtrica, atque hemorrhoidalia vaſa venoſa, quibus veſica inſtruitur, depleantur: ſanguinem in illis lenteſcentem, ſtagnantemque dimotum iri facile arbitror.

VIII. Ex iis quæ probanda ſunt, primum illud eſt, quod rami venoſi, qui ad malleolum internum repunt, ſint ſaphænæ propagines: id vero Anatomicorum auctoritate probatur. *Ramus internus ſaphenæ nomine inſignitus fertur .... ad malleolum internum, ubi cum aliorum ramulis varie inoſculatur* (*a*) Sic Verheyenius. Porro ſaphænam ſupra cæteras venas, a trunco crurali abſcedere, demonſtrant anatomicæ venarum Tabulæ ex Veſalio, Caſſerio, & Verheyenio, aſſeriturque ab Solertiſſimo Heiſtero (*b*)

IX. Alterum a me probandum eſt, quod ſervata ejuſdem emiſſarii magnitudine, miſſique ſanguinis quantitate: facilius motus ſanguinis per veſicæ vaſa, hypogaſtrica, & hæmor-

(*a*) T. 1. Tract. 7. c. 2.
(*b*) C. a. 296.

hæmorrhoidalia nempe, promoveatur, si supra dictorum vasorum in ramum Iliacum insertionem sanguinis quantitas minuatur in Iliaco: quam si id fiat infra dictam insertionem. Quod si infrà dictam insertionem id fiat, eo facilius cruor in hypogastricis, & hæmorroidalibus dimovebitur, quo proximius insertioni, sanguinis quantitas minuetur.

X. Quoniam sanguis qui ex hypogastricis, & hæmorrhoidalibus venis in Iliacas elutriatur cor versus cursum dirigit; resistentiam, quam ab reliquo sanguinem patitur, ab eo potissimum patitur, qui ipsum prope antefluit. Sed si supra dictorum vasorum in Iliacum insertiones, quantitas sanguinis minuatur, resistentia dicta in Iliaco tollitur, quod non obtinetur Iliacum infra insertiones deplendo, cum sanguis antecedens, non postveniens impedimento sit: ergo vesicæ sanguini facilius resistentia tolletur, proindeque motus conciliabitur supra dictas insertiones quantitatem in Iliaco minuendo, quam si infra, id præstetur. At secentur venæ, seu quantitas minuatur sanguinis infra dictas insertiones, in locis tamen qui a dictis insertionibus non æquidistent. Clare patet quod trunci sectiones locis pertusis superiores citius deplebuntur per emmissaria insertionibus proximiora, quam per remotiora: quapropter, ea quoque trunci sectio, quæ vesicæ

ſicæ vaſorum inſertiones comprehendit ; citius deplebitur per emiſſaria inſertionibus proximiora, quam per remotiora. At ab eo ſanguine qui in trunci ſectione ea eſt, quæ ſectionem inſertionum proxime antecedit, reſiſtentiam, ex ſuperioribus, patitur veſicæ ſanguis redux ad cor, ergo hæc reſiſtentia ſanguini citius tolletur per emiſſaria proximiora, quam per remotiora. Sed ſaphænæ emiſſarium cæteris pedum venis dictis inſertionibus, ex Anatome proximius eſt, ergo citius per hoc veſicæ ſanguini reſiſtentia tolletur. At ab hac ablata reſiſtentia pendet ſanguinis dimotio, ſeu affectus curatio. Saphænæ vero emmiſſarium aperitur, interioris malleoli venas tundendo, ergo citius veſicæ medebimur ſecando interiores, quam exteriores. Ad hæc omnia tamen, quod notandum, eadem ſanguinis quantitas, emmiſſariique magnitudo ſervanda eſt.

XI. Verum nedum citius, ſed melius etiam veſicæ medebimur ſecando interiores. Sanguis per vaſa, & potiſſimum cum ſurſum verſus per venas movetur, motu projectorum movetur. Potentiæ quæ illum impellunt, ſunt maxime cruor a tergo premens, vi cordis, reſpirationis, arteriarumque pulſus; muſculi ſuperſtrati: periſtalticus membranarum venoſarum motus, & valvulæ. Porro dum ſanguis detrahitur, ex Bellinianis demonſtratis, niſi

copia

copia detracti sanguinis ea sit, quæ vires impellentes minuat, potentiis impellentibus resistentia tollitur, seu, quod idem est, iis robur visque additur. Locus vero, unde potissimum majorem impellendi vim potentiæ acquirunt, eum esse duco, unde sanguis, secta vena educitur: quod sic probatur. Unde sanguis educitur ibi minor fit resistentia potentiis impellentibus; sed minor resistentia, idem est, ac robur potentiis adauctum, ergo robur potentiis augetur, ubi resistentia minuitur. Cum vero sanguis, ut paulo ante dixi, motu projectorum moveatur; eo fortius, ut projecta solent, movebitur, quo, vel principio motus, vel loco unde motui vis accedit, propior est: vis autem, quæ ramo crurali, secta vena, accedit, eo loci manifestatur, ubi in ramum cruralem inseritur, quæ insertio superior est, reliquis venarum pedis insertionibus: ergo cruor in crurali, atque Iliaco vase velocius movebitur secta Saphæna, quam quolibet alio pedum vase. Sed sanguine, per vas aliquod se celerius movente, fieri non potest, quin per ea quoque vascula velocius moveatur, quæ in dictum vas influunt, seseque promptius exonerent; ergo hypogastrica, atque hæmorrhoidalia vesicæ vasa promptius exonerabuntur, seu quod idem est, per ea sanguis velocius movebitur secta saphæna, quam quocumque alio pedum vase. Ergo ob du-

duplicem causam in urinæ morbis, saphænam secabimus; & quod citius, & quod melius medeatur. Ergo Magnus Medicinæ Parens Hippocrates optimâ ratione docuit: *Urinæ difficultatem solvit venæ sectio: secare autem interiores.*

XII. Si isthuc est sapere, mihi quispiam obiiciet, ædepol est stulte sapere. De urinæ difficultate Hippocrates loquitur: in urinæ difficultate rationabile esse sanguinem mittere, probare conatus es: Interim supra dixeras te in urinæ omnimoda suppressione Hippocratis præceptum sequutum, pedis venas interiores secasse. Quando nam Hippocrates de curatione Ischuriæ vesicalis verba fecit? Nullibi, quod sciam. Sed cum stranguriam dixit venæ sectionem tollere, qui vesicæ affectus, secundum magis, & minus, ut scholæ loquuntur, ab Ischuria solummodo differt; probabile mihi videtur, & de Ischuria idem Hippocratem intellexisse. Idque mihi probabilius ex eo fit, quod nullibi Ischuriæ curationem tradiderit, quam tamen, utpote morbi passim obvii, explicuisset, si eam a Stranguria specie differre putasset. Ita omnes Vesicæ affectus eodem inclusit Prognostico vir, qui res, non verba captabat: *Renum affectiones, & quæ circa vesicam consistunt, difficulter sanantur in senibus* (*a*) Medicus quoque sua ætate

(*a*) In Mundin. Anatom. De anat. crur. & pedis.

ætate longe Celeberrimus Curtius, dictos de urinis Aphorismos, sic legit, ut in iis, omnes urinarum affectus comprehensi videantur: ita enim legit: *in passionibus vesicæ venæ sectio solvit: secare autem interiores.* Sed quacumque auctoritate posthabita, mihi satis est, ab iisdem causis Ischuriam, quibus Stranguria; haud raro fieri, ut cum ita se res habet, methodo eadem utrisque opituler.

F I N I S.

STRAN-

STRANGURIA, HÆMORRHOIDUM

Dolor, & dextri testiculi tumor, in sene sanata. Nova Stranguriæ Idea illustratur.

OBSERVATIO IV.

E.

VIr annorum 70. maxime vinosus, ac laboriosus, acrioris temperaturæ, licet crasso corporis habitu præditus; per hyemem acriorem, ficcioremque anni 1738 post esum copiosum suillæ salitæ, laboremque insolitum in onere deportando, Stranguria corripitur. Torquebatur dolore acerbissimo urethræ, colli vesicæ, ac Perinæi in urina reddenda, quæ tota lactea, sedimentum mucosum ejusdem coloris deponebat. Appetitus ciborum omnino dejectus, & noctes, ob frequentissimos mejendi stimulos, insomnes. A Pharmacopola illi exhibetur Conserva Cassiæ Donzelli; a qua, tametsi ventrem solvisset, nullum dolorum levamen habuerat. Me itaque vocat, ut illi Medicinam facerem die tertia a morbi insultu, nocte appellente. Statim præscribo.

℞ *Se-*

℞ Semin, frigid. major. ℥ j. ſ.
papav. alb. ʒ j. ſ.
Baccar. Alchecheng. ʒ. ij.
Aq. ſucc. malv. q. ſ. ad emulſ.; cui add.
Nitri papaver. ℈ i

Nocte hac placide dormiit, abſque fere ulla micturitione, & doloribus. Die ſequenti mediocriter ſe habuit, ſed ſero morbus recruduit, contra quem fruſtra emulſio præſcripta; per totam ſiquidem noctem laboravit. Die ſequenti, morbi quinta, pro ſcopo averſorio, præſcribo

℞ Radic. Jalap. pulv. ℈ j
Merc. optim. dulci ß. gr. xij
Ol. Cortic. aurant. Stillat. gutt. iiij
M. F. pulvis

Habuit aliquot ſedes, & quidem cum euphoria. Sero, ſolitam hauſit Elmuſionem. Nox ſequens mediocris. Dic ſexto in jure cui baccæ alchechengi, & ſemina violarum purpurearum incoquebantur, talem pulverem ſumebat,

℞ Ocul. cancr. ppt.
Chryſtal. Mont. ppta } an ℈ j
Nitri purific.
M. F. pul.

Umbilico itidem talis illinitio admovebatur
℞ Axung. Anatis ℥ ſ.
Ol. Cortic. Aurant. Stillat ℈ j

Sero Emulſionem hauriebat, & poſt duos dies, ali-

aliquantisper melius se habebat, ciborumque appetentia reddibat. Die octava, hæmorrhoides, quibus per anteactum vitæ tempus nunquam laboraverat, adeo dolentes, & tumidæ, ut neque stare, neque sedere, vixque decumbere posset æger. Unguento de Linaria, & Populeo, cum euphoria, illiniebantur, iisdemque utebamur remediis. Die undecima, gravior denuo Stranguria urgebat; contra quam serotinæ emulsionis vice, præscripsi, ex Foresto, aquam rosaceam ad uncias sex, cum unius ovi albumine; sed noctem omnium gravissimam transegit, ab hæmorrhoidibus summe dolentibus, & Stranguria divexatus. Die decima secunda venam tali internam tundendam præcepi, sanguisque, qui extra aquam, in vas colligebatur, consistentior, & absque sero apparuit. A sanguinis missione, sumpsit ℥ j. ſ. Syrupi de Althæa simplicis, & ℥ j. Syrupi violarum. Post prandium somnus obrepsit, & liberè sine doloribus, minxit. Sero talis Emulsio præscripta

℞ *Semin. quatuor frig. majo.* ℨ v
Bacc. Alchecheng. ℨ iij
Aq. rosac. cum album. ovi conquas. q. s.
F. E., add.
Laud. liquid. Syd. gutt. vj.

Tota nocte dormiit. Bis libere minxit. Mane bene se habuit; syrupos officinales sumpsit, sed conquestus de inflatione testiculi

dextri. Urina naturalis coloris; ſed paulo poſt mictionem turbabatur, ſedimentumque rubrum, ac lateritium deponebat. Die ſequenti teſtis magis tumidus, cui admotum cataplaſma ex farina fabarum in oxicrato. A ſyrupis officinalibus abſtinui, quia credidi ab illis, & ſenſum famis tolli, & ſitim accendi.

Per duos dies irrito ſucceſſu cataplaſma geſtavit; quapropter hujus loco, Emplaſtrum de ſpermate ceti appoſui; ſed fruſtrà. Suffitum igitur ex floribus ſulphuris aceto irroratis, præſcripſi, a quo tumor quidem minuebatur, ſed durior, & magis dolens teſtis evaſerat. Ablegato itaque ſuffitu, ſuperdedi emplaſtrum oxicroceum cum duplici Mercurio; ſed inde dolor, atque inflammatio major; vaſa ſpermatica, & vas deferens, manifeſte nodoſa, ac veluti varicoſa; tumorque teſtis inæqualior. Tunc tale Cataplaſma præſcripſi.

♃ *Fol. Rutæ*
Bacc. Alchech. } an. M. j. ſ.
Inciſis ſuper aff. ol. roſac. compl. ℔ j. ſ.
Aq. Malv. ℔. j
Bull. ad aquæ conſumpt., deinde tepentib.
add. Farinæ ſemin. papav. alb.
Hyoſciam. } an. ℥. ſ.
m. f. Cataplas.

Poſtquam per diem tale Cataplaſma geſtaſſet, potuit ſtare, & incedere, cum antea decum-

bere

bere necesse haberet. Usu continuato, melius habuit, domoque exiit ad solita munia, nondum teste ad pristinam magnitudinem redacto, qui tamen paucos post dies omnino detumescebat. Æger inde sanus, & perfecte valens, de more vino se proluit, insolatuque, laboribusque, licet Septuagenarius, se exercet.

II. Indicationem, cui toto morbi tempore satisfaciendum putavi, quisque videt eam fuisse, per quam asperi, acres, irritantes succi demulcerentur; quorum dominium in viro vinoso, laborioso, temperaturæ acrioris, hyemis acrioris, sicciorisque tempore, post ciborum acrium esum, proclive erat coniicere. Sed illud in dubium revocari potuit, & potest; an succi isti cum urina in vesicam delati, spasmos vesicæ excirent; an intra vecicæ tunicas compressi, ejusdem æconomiam turbarent, quod observatione superiore ad numerum V. attigi. Cum igitur ob horum vim, irritatis, crispatisque tunicis, vasisque vesicæ, sanguinis liberior fluxus per eandem perturbandus sit; illud nasci potest, seu quod mucus vesicæ obliniendæ natus non sequestretur, unde urinæ vel naturalis irritantes sales nuda vesica acute sentiat; seu quod mucus iste ea glutinositate donatus non separetur, per quam internæ tunicæ adhærescat, sed in earum dilabatur, vesicamque inermem

relinquat; ſeu quod acrior, & extimulans, tum ob ſanguinem ejuſdem indolis, tum ob ejus vitiatam ſeparationem; effectum adverſum naturali præſtet, cyſtidemque non defendat, ſed extimulet, irritet, atque; ſi ita dicere fas eſt, gravedinoſam reddat. Quæ omnia cum ab uſu veſicæ depravato pendeant, ſtranguriæ hujuſce internæ continentes cauſæ, compendio, ad duas reduci poſſunt; ad vitium nempe lotii; vel ad vitium humorum per veſicam perreptantium. Examini igitur eas ſubiiciamus.

III. Symptomata quæ morbum comitabantur, ejuſmodi eſſe mihi viſa ſunt, quæ ab utraque cauſa pendere potuerint. Si enim loquamur de lacteſcente urinæ colore, ejuſque mucido, & albido ſedimento; cum hoc non eſſet niſi mucus veſicæ (neque enim eos moror, qui a primæ concoctionis vitio mucidam hancce in urina ſubſtantiam deducunt) poterat iſte a veſica abradi, tum ab acriore urina, tum ob motus veſicæ ſpaſticos vel per cauſam tunicis internam, vel ob muci ejuſdem acrimoniam excitatos, qui deinde cum urina commixtus, eam tingeret mucoſumque ſedimentum ſubſidendo, conſtitueret. Hemorrhoidalia quoque vaſa, non minus a lotii, quam a non urinoſis ſtimulis tumeſcere poterant. Cum enim, me judice, in caſu ideo intumuerint, quia ob ſpaſmodicos cyſtidis

mo-

motus, & veſicæ vaſa, & quæ ejuſdem originis in vicinia ſunt, coarctarentur ſanguini, per ani venas reduci, iter cor verſus intercipiebatur; quapropter in vaſis ſtagnans, ea in tumorem attollebat, & diſtendebat. Si frequentiſſimos mejendi ſtimulos conſideremus; inde equidem exortos fuiſſe, putare poſſumus, quod, vel paucæ lotii acerrimi ſtillæ in veſicam illapſæ, ſtatim irritatione ſua veſicam, ad eas expellendas irritarent; ſed eorum frequentiam etiam ex eo deducere quimus, quod ſentientes veſicæ fibræ a ſtimulis non urinoſis pungerentur: vel ab iis pungerentur utique, ſed ob muci deficientiam. Stimulorum vero intervalla, ex eo, quod fibræ dolorificis criſpationibus exercitæ, ab acrioribus humoribus, per veſicæ vaſa perreptantibus, vel a muci acrimonia debilitarentur, & atonæ (qui ſpaſticorum motuum effectus eſt) evaderent: donec ſtimuli ſenſim denuo congeſti, & acriores redditi, novos inſultus, diſtentioneſque adducerent.

IV. Inter haſce ambages ſi quid mea ſententia ſtatuendum eſt, non ob urinæ acorem, ſed ob vitiatam veſicæ æconomiam, doloroſam Stranguriam excitatam fuiſſe puto. Si enim ab acerrimo lotio originem duxiſſet, quare eadem acrimoniæ vis ſenſim per uretheres illabendo, horum etiam internam tunicam non extimulaſſet, ſpaſmoſque circa lumbos non

exciviſſet? Cur ſanguis acerrimis iſtis particulis fętus, tubuloſam renum ſubſtantiam pertranſiens, Nephritidem non cauſatus fuiſſet? Cur in pelvim urina decidens, morbum eundem non adduxiſſet? Reponi poteſt, urinam, ob muſtum, vel cerviſiam minime defęcatam, peracrem redditam, Stranguriam ſolummodo, non Nephritim, ut auctores obſervarunt, excitare (ipſe quoque a crudioris muſti ingurgitatione, exortam, non Stranguriam, ſed Iſchuriam vidi, quę dato purgante, cum ſale volatili C. C. fermè ex tempore ſanabatur) neque uretherum ſpaſmum ciere. Sed ego puto tali in caſu, urinam ſolummodo acorem concipere, poſtquam veſicam illapſa eſt. Ibi enim materia muſti fæcalis ſtagnans, ut pote maxime fermentationi apta, in motum cieri poteſt, ac fermenteſcere; ob quem fermentationis motum, poſtea acidum ſal, fermentationis ſoboles, maximeque irritantis indolis, exoriatur.

V. Sed cauſæ procatarcticę, a qua vir laboravit conſideratio; ſanatio quam a ſanguinis miſſione ęger obtinuit; remedia ante ſanguinis miſſionem, parvo, vel nullo fructu adminiſtrata; teſtiſque tumor curatæ Stranguriæ ſuperveniens, ſententiæ meæ pondus addere mihi videntur. Poſt ponderis elevationem, Strangurią acceſſit. Ex niſu etenim qui fit, gravius deportando pondus, in ma-

jore

jore copia ſanguis ad partes in pelvi, & circa pelvim contentas, detruditur, qui, vaſis nimis repletis, ob idque ex Hippocrate (*a*) nihil remittentibus, ibi, vel ſtagnat, vel lenteſcit. Stranguriam a ponderis elevatione ſolummodo excitatam, obſervavit etiam Nuperrimus Celebris Scriptor Hoffmanus (*b*) cujus opera ad me deferuntur, dum hæc ſcribo. Si dictus igitur ſanguis iis moleculis fætus ſit, ut in meo ægrotante, quæ vellicare, irritare, pungere aptæ ſint; nedum pars affecta ſpaſmis, doloribusque diſtorquebitur, ſed ejuſdem æconomia pervertetur. En igitur quod veſicæ aclio, damnum capere debet; muci ſequeſtratio vitiari; eaque contingere, ex quibus Stranguria exoriatur.

VI. Ad ſanationem ope ſanguinis emiſſi acquiſitam, quod attinet: quamvis ob eas mutationes, quæ ſanguini vena ſecta, Bellino demonſtrante, accidere poſſunt, impoſſibile non ſit ejus texturam ita immutari, ut quod ab eo abſcedere poſtea debet lotium, minus acre, quam ante evadat; nihilominus conceptu facilius eſt, per cruoris eductionem, qui ſtagnabat in vaſis, cum ſecto vaſe communicantibus, dimotum fuiſſe, ſicque laborantis partis æconomiam in integrum reſtitutam.

VII. Ex noſtri corporis humoribus, nullus

(*a*) 8. de morb. tex. 25.
(*b*) T. 4. Part. 2. ſect. 2. c. 7. obſ. 4.

ab ingeſtis ocyorem impreſſionem patitur, quam lac, & lotium. Nedum medicamina, ſed cibi, horum colorem, ſaporem, conſiſtentiam mutant. Quantam mutationem ab aquoſis, ſerum urinarium patiatur, vel bibonibus notum eſt. Conceptu itaque difficilius mihi videtur, quod ſi urina acrior morbum feciſſet, ab aquoſis & demulcentibus pluries adhibitis, acore non ſe exuiſſet, taliſque evaſiſſet, quæ veſicam irritare non ultra potis fuiſſet. Antequam igitur ſanguinis miſſionem celebraſſem, æger ſanitati reſtitutus fuiſſet. Hac tamen opus fuit, ut ſanguis qui per veſicæ tunicas curſum ſuum naturaliter non peragebat, fluxui debito redderetur.

VIII. Igitur venæ ſectionis ope, dimotus a veſicæ canalibus ſanguis, intra teſtem deferebatur; cumque liberæ circulationi ineptus, a revehentibus venis valvulis ibi deſtitutis, cor verſus non promoveretur, reſtitabat; & tumorem cauſabatur. Neque enim quæ de ortu tumentium hæmorrhoidum diximus, teſti tumido aptari poſſunt. Cum enim hæmorrhoides intumuere, diſtentiones, & criſpationes vaſorum durabant adhuc; quæ, cum ſanata Stranguria, teſtis intumuit, jam ægrotantem diſcruciare deſierant.

IX. Forte nova morbi idea, mentem meam alliciendo facit, ut rationum momenta adducta, minus levia, quam revera ſint, mihi videan-

deantur. Sed quæcumque ea ſint, certe non ſunt hypothetica, neque obſervationis ſubſidiis deſtituuntur. Dominus Gait, apud Bonetum (*a*) vidit funeſtam Stranguriam, a venis veſicæ varicoſis, ſanguineque diſtentis. Laudatus etiam nuperrimus Scriptor Hoffmanus (*b*) immedicabilem obſervavit Stranguriam, ob membranaceam veſicæ ſubſtantiam craſſiorem quam quæ eſſe debuerat, a ſumma diſtenſione vaſorum per eam pererrantium: An ita ſtantibus vaſis iis, quæ ad glandulas veſicæ, mucum, ut ibi ſepararetur, deportabant, naturalis dicti muci ſecretio perfici poterat?

X. Sed quorſum hæc quiſpiam dicet? An quia idea hæc Stranguriæ nova forte eſt, ſecurior, aut nova medendi methodus Stranguriæ adaptabitur? Nonne, ſive acrior urina; ſive turbata per humores acres in eam delapſos, veſicæ æconomia morbum fecerit, ſemper id Medico curæ eſſe debebit, ut humorum acrimoniam demulceat? Quare igitur oleum & operam perdere in eorum diſquiſitione, quæ nihil utilitatis Praxi afferunt? Tanti ne eſt Stranguriæ Theoriam acuratius enucleaſſe? Mihi nova hæc Stranguriæ idea aliquid opis offerre videtur, in Strangurîa curanda. Si enim conjectabis vitiatam veſicę

æco-

(*a*) Sepulc. l. 3. ſect. 25. Obſer. 22.
(*b*) l. 2. Parte 2. ſect. 2. c. 7. Obſerv. 1.

æconomiam morbum facere ; demulcentia ; atque dulcificantia poterunt equidem indicari ; sed nihil citius morbum tollet, quam sanguinis missio: tardiores enim sunt, qui ab aliis remediis, expectantur effectus . Tunc vero a dicta causa morbum fieri censebimus , cum excreta urina solito acrior non erit, qua de re periculum gustu, olfactuque fieri poterit; cum non erit purulenta , non sabulosa , quod visu dignoscetur; cum non aderunt signa læsæ vesicæ ; cum uteri , aut recti intestini inflammati (*a*) aberunt indicia . Quibus si ipse animum advertissem, primis diebus quibus ad ęgrum accersebat ; illum facilius sanitati restituissem , & forsan ab hæmorrhoidum crutiatibus , & testium tumore , virum Stranguriosum pręservassem.

XI. Sed hic quæri posset, an non per hirudines ano appositas quam per Saphænæ sectionem, morbus facilius tolleretur? Ex observatione, hac super re, nihil ipse dicere habeo ; Decumbentibus enim ob vesicæ morbos , hirudinum admotionem nunquam adhuc præscripsi. Neque annotavi, aut memini me legisse, urinæ vitia ab hæmorrhoidum fluore , sive spontaneo, sive artificiali, fuisse sanata. Adnotavi vero casum quemdam, ex quo forte coniici potest, hæmorrhoidum apertionem in Ischuria, aut Stranguria utilem esse: Res ita se

(*a*) 5. aphor. 58

ſe habuit. Vir ſeptuagenario major, frigidioris, ut tunc videbatur, temperamenti, ob humanam fragilitatem ſæpe per juventutem labe Venerea infectus, & ante quatuordecim annos Iſchuriam Veſicalem paſſus; a multo tempore cæperat eſſe Strangurioſus. Cum deinde per totam æſtatem vappam, vinumque ad acetum vergens, bibiſſet; Auguſti tempore, priùs diarrhæa; hac deinde ſponte ſanata; Iſchuria veſicali corripitur. Poſt admotionem Cataplaſmatis a Chirurgo concinnati e Parietaria in butyro frixa, urina fluxit; ſed denuo poſtea ſupprimebatur, & die tertio a ſuppreſſione, quo vocabar, veſica erat tumida, renitens, ac doloroſa, iliiſque lumbiſque dolebat. Poſt Topicorum adminiſtrationem ex cæpis, Parietaria, Malva, oleiſque violaceo, de ſcorpionibus Matthioli & ſuccini ſtillatitio; ac potiuncula (putabam enim craſſam, pituitoſamque materiam morbi cauſam eſſe) ex oximellis ſcillitici uncia, & dimidia, & dimidia, drachma Tartari Vitriolati in unciis tribus ſucci Parietariæ; præſcripſi, ut ſyringa, lotium e repleta cyſtide educeretur; Forte ob Chirurgi imperitiam, non urina, ſed ferme unciæ quinque ſanguinis e pene exiere. Paulo poſt operationem, involuntaria urinæ excretio ſequuta eſt, meliuſque poſtea ſe habuit æger atque convaluit. An ſanguis e vaſis penis, & colli veſicæ,

emiſ-

emissus morbum abstulerit: an remedia interna, & externa Ischuriam curaverint, certo determinare non ausim. Sed mihi a probabili haud alienum videtur, quod sanguis per penem eductus, vel affectionem sustulerit, vel curationem adjuvarit. Quæ si vera sunt, venarum quoque hæmorrhoidalium apertio in vitiis urinæ adjumento esse potest. Nihilominus puto utiliorem futuram saphænæ incisionem, qua super re ut aliquid cum fundamento proferam, ab anatome lumen petendum est.

XII. Videndum igitur quæ vasa ad vesicam, quæ ad rectum intestinum abeant. Arterias habet vesica a ramo interno arteriæ Iliacæ, sive Hypogastrico; venas vero ab trunco Iliaco, Hipogastricas dictas. Rectum intestinum nedum ab iisdem, tum venosis, tum arteriosis truncis vasa sua obtinet, cujus venosa, hæmorroidalia externa vocantur; sed insuper venis hæmorroidalibus internis dictis, donatur, quæ venæ portarum radices inferiores constituunt. Nunc hirudines podici admoveantur: Istæ dubio procul, tum a venis, tum ab arteriis cruorem sugent. Ponamus, quod venæ quibus animalcula ista adhærent, sint ex internis hæmorroidalibus. Cum hæc nullam comunionem cum vesica habeant, perinde erit, ac si quælibet alia corporis vena pertundatur, neque sanguini intra vesicam lentescenti, resistentia suo reditui in Iliacum vas deme-

metur. Quatenus igitur ab internis hæmorrhoidalibus ſuctu hirudinum mittetur ſanguis, nulla derivatio e veſica continget, neque veſicæ laboranti medebitur. Tundant hirudines arterias. Ex Bellino, velocitas, quæ exercetur per Iliacum truncum, major eſt dum hirudo ſugit, quam eſſet ante ſuctionem. Ergo eodem temporis ſpatio, puta unius ſecundi, major ſanguinis quantitas derivabitur ex Iliaco trunco, in arterias hypogaſtricas ſugente hirudine, quam ante ſuctionem: hæc vero quantitas proportionalis erit velocitati per ſuctionem acquiſitæ; velocitas verò proportionalis emiſſariis ab hirudinum ore apertis. Hæc ſimul ſumpta æquare quidem poſſunt, & fortè ſuperare grandius emiſſarium a phlebotomo exciſum; nihilominus velocitas ope horum parvulorum emiſſariorum adaucta, velocitatem, quæ acquireretur per unicum emiſſarium vulnuſculis hirudineis collective ſumptis æquale, minimè equabit. Per emiſſarium nempe phlebotomi, ſanguis continenter, & ſine mora effluit, quod ſugentibus hirudinibus minime contingit; cum per intervalla, quemadmodum ſugentes faciunt, atque ex horum animalculorum ſugentium conſpectu videre eſt, venas exhauriant. Fieri igitur poterit, ut in veſica, ſpaſticis præſertim motibus criſpata, & exagitata, velocitas ſanguinis adaucta ob hirudinum ſuctum, ea non ſit, quæ ſtagnantes humo-

humores tollat, & abripiat, ſed quæ quantitatem cruoris lenteſcentis accumulet. Profectus igitur, qui ab apertione hæmorrhoidalium arteriarum expectari poteſt, incertus eſt. Reſtat igitur ut aliquid ſperemus, ex externarum hæmorrhoidalium apertione, quæ ejuſdem ſunt originis, ac vaſa per veſicam reptantia. Haud inficias ivero, harum venarum apertionem utilem eſſe non poſſe; ſed mihi videtur utilior ſaphænæ pertuſio, idque ob majorem velocitatem, quæ ſanguinis in hipogaſtricis veſicæ venis contento, communicabitur tundendo ſaphænam, quam hirudines externis hæmorrhoidalibus admovendo. Tundendo enim ſaphænam, reſiſtentia ſanguini reduci in Iliacum continenter, & ſine mora tollitur, non vero per intervalla, ut accidit in ſuctu hirudinum; eodem enim temporis ſpatio, per ſaphænæ inciſionem major ſanguinis quantitas in Iliaco demetur; quam dematur ab hirudinibus, ſi etiam vulnuſcula ab hiſce inflicta, emiſſarium in ſaphæna apertum æquarent. Neque dici poteſt proportionem inæqualitatis multo majorem habere poſſe hirudinea vulnuſcula collective ſumpta, ad vulnus, a phlebotomo ſaphænæ inflictum, ea, quam habet velocitas cruoris per ſaphænam exeuntis, ad eum qui ab hirudinibus ſugitur; quia totus hirudinum numerus hæmorrhoidalibus externis ſolummodo minime adhæret, ſed etiam inter-

nis,

nis, atque arteriis; unde vulnuſcula externarum hæmorroidalium vix poterunt æquare collective ſumpta, vulnus illud, quo ſaphæna pertuſa eſt. Quæ ratio mihi eſſe videtur, ita me ſuadet: ſi aliter Praxis doceat, aliter ſentiam. Forte etiam diſpoſitio Vaſorum per podicem ea eſt, ut potiſſimum externis hæmorrhoidalibus adhærere debeant hirudines, ut inde hirudineum vulnuſculorum collective ſumptorum ad ſaphænæ inciſionem proportio, multo major ſit, quam velocitas ſanguinis per ſaphænam exeuntis ad eum, qui per ſingulos hirudinum morſus educitur: quo in caſu totum meum ratiocinium labaſcit, & corruit.

XIII. Ægro ſtranguorioſo dolori utique, & tædio; mihi verò utile fuit exarate morbi Ideæ animum non advertere, neque ſanguinis miſſione teſtis tumorem prævenire; quia ita feliciter periculum feci de maxima vi diſcutiente, qua ſemina narcotica donantur. Nondum Clariſs. Freind legeram (*a*) qui ex Bateo, ait, opium diſcutientibus emplaſtris additum mira præſtare; cum opiatorum ſeminum eximiam in diſcutiendo vim, expertus eram. Adoleſcens annorum 18, prægrandi abſceſſu a coxæ medietate, uſque ad metatarſum laborabat. Pluries, & pluribus in locis illum ſecaverat Chirurgus; ſed tametſi copioſiſſimum

[*a*] Emmenolog. hiſtor.

mum pus undequaque erupisset, genu tamen maxime tumidum, dolensque, non subsidebat. Multa ob id, sed irrito successu per Chirurgum admota fuerant; cum ipse in auxilium vocatus, ut Emplastrum ex farina seminum hyosciami & papaveris albi, cum unguento rosaceo malvino, superdaretur præcepi, Post diem, & noctem ab Emplastri appositione, genu ferme omnino detumuit. Nobilissimus vir sæpe gonorrhæa virulenta infectus, doloribus in scapulis, & colli musculis, nec non ad malleolum pedis externum non raro laborabat. Apposito Emplastro exicroceo cum Mercurio duplici facillime dicti dolores tollebantur. Sed quadam vice evenit, ut totus pes dexter, a dolore, & levi tumore occuparetur. Appositum de more Mercuriale emplastrum, sed eventu minus felici; siquidem quamvis tumor modo hic, modo illic subsideret, & ab uno loco discussus, in alterum exurgeret, doloresque locum mutarent; nunquam integre vir impatiens sanabatur. Calcis, & cæteris Tarsi ossibus novissime firmiter adeo incubuerat dolor, ut neque a Mercuriali Emplastro, neque a fotibus ex anodynis, & discutientibus sæpius admotis, tolleretur. Jamque edixeram, hac vice morbum topicis, sine internorum remediorum subsidio minime cessurum. Cum tamen æger expostularet, ut aliquid excogitarem, quo Emplastrum efficacius

redde-

reddere tur; de vi narcoticorum discutiente in mentem venit, ac tale Emplastrum concinnavi,

℞ *Semin. hyosc. pulv.* } an. ℨ iij.
papav. alb.
Emplastr. oxicroc. ℥. ſ.
Ol. Castor.
Lumbric. } an. ℔ v.
Vulpin.
M. ad lenem ignem, & reform. Emplastr. cui admotionis tempore ad. Mercur. crudi ℥. ſ.

Quæ Mercurius ex se non præstiterat, accedente horum seminum efficacia, facilime præstitit, ægerque intra paucos dies sanitati restituebatur. Hisce observationibus confisus, tumori testis renitenti, scriptum super dedi Cataplasma, quod spem meam non fefellit, ægrumque sanitati felicissime restituit.

FINIS.

BUBONES, ET FICUS GALLICI, SINE CHIRURGIÆ PRÆSIDIIS FELICITER PERSANATI.

De nova hac methodo disseritur: aliqua item de cura Gonorrhœæ.

OBSERVATIO V.

F.

JUvenis inculpata fruens valetudine, validissimus, & robustissimus ab impuro coitu Gonorrhœa inficitur, quæ post octo dies a coitu apparuit. Virus stillans minime copiosum erat, sed viridescens, ac crassioris consistentiæ, ut quasi sebum liquatum æmularetur. Aderat ardor in mictione, & dolor acerbus in penis erectione. Illum prius purgavi pillulis fœtidis majoribus, scammonio sulphurato, & Mercurio dulci; deinde potionem diureticam mane sumendam præscripsi, ex unciis quatuor succi raphani hortensis, quibus scrupulus addebatur spiritus Terebynthinæ, & semidrachma nitri purificati. Die secundo ab assumptione diuretici, copiosissimè mingere cæpit;

cæpit; ardor urinæ cessavit; ac sanies stillans dilutior, & copiosior evasit; in erectione vero penis dolor magis acerbus. Sed die octava a diuretici usu, apparuere bini bubones utrinque in inguinibus, quorum maturationi cum studendum edicerem, juvenis sacris initiatus omnino obstitit; seque potius mori testatus est quam ut quæ fragilitatis inditia, me excepto, cui erat, a teneris, ut ajunt, unguiculis, amicus, ulli patescerent. Expostulabat itaque a me, ut, quocumque tandem res desitura esset, bubonum maturationem arcerem, seque alia methodo, quam quæ obtinet, curare satagerem. Ego, suppurationem avertere periculosæ plenum opus alleæ testatus, ac plurima objiciens; tandem, cum ita ille vellet, exorari me sino. Itaque ad bonum exitum perduci posse putavi, si quæ glandulas inguinales obsidebat materiem, partim superdato discuterem medicamine; partim ad ani vias, per validius, & anti-venereum Catharticum, sæpius diverterem, atque educerem. Præscripsi ergo catapotia, ex gr. j. s. extracti Throchiscorum Alhaandal, & extracti Elaterii: gr. xij Mercurii dulcificati: cum s. q. extracti Panchymagogi Crollii. Tametsi medicamen haud copiose alvum duxisset, nihilominus postridie inguinum tumor disparuit, & dolor cessavit: sed ex irritatione acrioris purgantis, ad perinæum, & anum

dolor gravior acceſſit, qui diſcutiente, & anodyno fotu ſolvebatur. Minime igitur, contra ac ſtatueram, iterata catharſis, ob metum, ne anus extimulatus aliquid detrimenti caperet, atque inflammationem contraheret. Diureticum denuo ingeſtum; ſed poſt octo alios dies, duo fici in præputii pelle exorti erant, qui ſub uſu dicti diuretici, nullis exedentibus appoſitis, evanuere. Per menſem continuato ſucci raphani hauſtu, gonorrhœa omnino ſanabatur, remanente ſolummodo quodam punctionis ſenſu in penis erectione circa frænulum, ad locum nempe, ubi anteacto tempore ſemper dolebat. Sed injecto prius ad aliquot dies lacte tepente; poſtea Balſamo Peruviano in vino albo diſſoluto, doloroſus ſenſus evanuit, juveniſque perfecte convaluit.

II. Ea apud Medicos, & Chirurgos obtinuit, & obtinet ſententia, ut Venerei bubones maturentur, deinde aperiantur, cum eos digerentibus reſolvere, ſit res quæ non caret periculo. Chirurgorum facile Princeps ab Aquapendente (*a*) tametſi bubones non venereos, digerentibus, reſolvendos eſſe docuerit; nihilominus contra venereos ſuppurantibus ſolummodo utendum docet, *quia digerentium ope, tenuiore parte reſoluta, craſſiores intus ſe defigunt & concreſcunt*. (*b*) Mercatus etiam uſum

(*a*) Pentateu. l. 1. c. 13.
(*b*) Ibid. c. 46.

usum resolventium (*a*) in venereis bubonibus improbat, quia per resolventia, ea solum materia evanescit, quæ intra bubonem continetur; cum vero bubo suppuratur totius corporis materia eo defluit, atque expurgatur: *qua ratione*, *ait*, *consultissimum esse censeo in his omnibus suppurationem tentare*, *tanquam hujus pessimi effectus præsens remedium*. Ita Ettmulerus (*b*) magni nominis inter recentiores Practicus, bubones venereos, prius emolliendos, larga dein sectione aperiendos esse docet. Et sane, ut ex allata historia videre est, ipse quoque, & usu, & auctoritatibus fretus, in ea fui sententia, ut dicti tumores solummodo per suppurationem, & apertionem tuto curarentur. Verum cum fors tulisset, ut nova methodus felicissime cesserit, rem pensitantius examinavi; mihique suasi, ut jucundiorem, sic non minus tutam rem esse eos digerentibus, & resolventibus quidem, sed catharticis mercurialibus in consortium accitis, curare.

III. Quod antequam Practicis rationibus consonum demonstrem; quæ ab Aquapendente, & Mercato afferuntur, difficultates diluendæ sunt. Aquapendens veretur, ne subtiliore parte materiæ obstruentis digestat & resoluta, quæ remanet fixior evadat. A prætterquamquod etiam in bubonibus non Venereis

(*a*) De indic. Medic. l. 2. c. 4.
(*b*) Chirurg. Medic. sect. 5.

idem periculum timendum esset (quidni? an non a discutientibus in omni tumore idem exitus timeri potest?) quod tamen minime timet Fabricius; si vis discutientis ea sit, ut crassiora etiam & fixiora digerere, atque in motum ciere possit, timor Fabricii, ne crassior materiæ pars fixetur, omnino evanescit. Profecto, quod si lympham a miasmate Venereo sideratam, iis resolvere tentes, quibus bubones non Gallicos resolvit Doctissimus Chirurgus; aquam, ut dicitur, in mortario tundes; cum eorum virtus ea non sit, quæ Gallica concreta, fluxilia reddere possit. At si duriori nodo, duriorem cuneum adaptes, Mercurium, nempe, potentissimum syphilidos domitorem; fluida vel intra glandulas coacta, vel intra vasa lente discurrentia, ab eo dissociari, fortius agi, circulationique, atque evaporationi apta reddi certissimum est. Ad Mercati vero difficultatem quod attinet: vel miasma Venereum partium genitalium lymphatica, inguinalesque glandulas solummodo infecit; vel etiam corporis interiora commaculavit, ut contagium susceptum, luis jam contractæ nomen mereatur. Si primum: cum evanuerit materia intra glandulam congesta, jam malum ablatum est: si secundum, an per inguen suppuratum lues contracta tolletur? Haud equidem rem ita esse observatio ostendit. Cum igitur dictæ difficultates nullæ sint,

neque

neque methodum alteram infirment, restat, ut de nova hac methodo verba faciam.

IV. Cuicumque, vel leviter in Anatomicis edocto, atque in rebus practicis exercito, patere puto, nihil aliud esse bubones Venereos, quam lymphæ stasim in glandulis inguinalibus coactæ a Gallica virulentia, per copiosissimos lymphæ ductus, qui partes genitales perluunt, in impuro coitu contracta. Quid agendum ut tali morbo medeamur? Miasma venereum corrigendum, atque enervandum: lues imminens præcavenda; & tumor tollendus. Quæ si præstari possunt, absque eo quod æger scalpello Chirurgico subiiciatur; methodus qua id peragitur, tametsi nova, non culpanda, & negligenda, sed laudanda, & in usum revocanda profecto erit. Ad tumoris ablationem, & lymphæ stasi jam correptæ discussionem, nil potentius cataplasmate Mercuriali: ad miasma venereum enervandum, luemque præcavendam, nil melius remediis ex vivo argento petitis. Si igitur Cataplasma Mercuriale tumori apponemus! si fluidis circulantibus, ne a veneno Venereo inficiantur, per repetitas Mercuriales purgationes, prospiciemus, an non bene medebimur? Id vero catharsis, ut assequamur efficiet, quia monente Baglivo (*a*) morbi partium genitalium optime ducuntur per alvum. Cum enim

(*a*) De morb. succes. c. 10.

vesicæ urinariæ adnatum sit rectum intestinum, partibusque genitalibus, & circa inguen, proximum; ob vim stimuli a cathartico fibris ejus inductam, fieri non poterit, quin ex vicinis partibus ad stimuli locum, atque, ut ita dicam, ad centrum oscillationis circumpositarum fibrarum, major liquidorum copia feratur, quæ vel per solitarias intestini glandulas; vel per canaliculos ani valvulas columnasque interpositos, *(a)*; vel per intermedias membranas (in viventibus enim omnia patula sunt) excreta, ad ani exonerationem extra prodeat. En igitur quomodo dicta methodus Venereo buboni absque scalpello medebitur; quæ me judice, felicissime cedet, si in morbi principio in usum revocetur; tum quia eo tempore lymphæ coinquinatæ copia minor erit; cum quia ex Doctissmi Freind *(b)* observatione constat, discutientia Medicamenta potissimum tumores prorsus dissipare, quando tempestivius adhibentur. Advertendum tamen, ne quæ ad dissipandum bubonem apponuntur illiusmodi sint, quæ, vel oleositate poros claudant, vel stipticitate vel frigiditate repellant: quia hæc utique luem inducerent, quemadmodum ex recensione Danielis Angeli *(c)* apud Bonetum juvenculo acci-

(*a*) Adverf. 3. animadv. 6. Morgagni
(*b*) Comment. 2.
(*c*) M. S. l. 2.

accidit, qui ad ſopiendum inflammati bubonis dolorem, olivarum, & nymphææ oleo uſus tumorem quidem diſcuſſit, & dolorem ſedavit, ſed a difficilima lue inquinabatur.

V. Omni laude major Boerhaavius (*a*) bubonis Venerei curam tradens, ait utique per emplaſtra ſpecifica tumorem diſſipandum, per quod illi indicationi, quæ tumorem tollit, ſatisfit. Sed cum materies ante ſtagnans fluxui reddita, niſi extra corpus amandetur, ad aliquam ex internis partibus denuo poſſit decumbere, & Gallica ſymptomata, ſeu luem excitare: mihi videtur ſatis non fore tumorem per diſſipantia diſcuſſiſſe, niſi per anti-Gallica Evacuantia luis periculo proſpiciatur Catharſis autem, me Judice, aliis anteponenda: quia *morbi* uti ajebat Hippocrates, *qua parte proximi ſunt, extrahendi ſunt* (*b*), & quia ut paulo ante ex Baglivo recenſui, veſicæ, & partium genitalium ægritudines, facillime ducuntur per alvum.

VI. Ob eandem rationem neque ad gonorrheam tutior, aut citior methodus, quam repetita ſæpius catharſi eam aggredi, quod pluribus experimentis edoctus teſtari poſſum. Curatio vero, quæ per emollientia, dulcificantia, aquoſa diuretica, atque aperientia e trivio inſtituitur, morbo potius blanditur, quam

(*a*) Aphor. de dignos. 1462.
(*b*) De loc. in hom. ſect. 2. tex.

quam illum averruncet. Non tamen laude ſua defraudanda ſunt ea e fortioribus diureticis quæ ab officinis animalibus infracta, ſuiſque viribus prædita, atque integra, ad partes laborantes accedunt. Quæ talia enim ſunt morboſas cauſas, & morboſa producta abripiunt, ſecumque rapiunt: quapropter partes deterſæ ſuum vigorem, tonumque denuo acquirunt, atque ſanantur. Ita in meo ægroto ſalia raphani acriora, Therebynthi ſpiritu, & Nitro acutiora reddita, adeo vaſcula quoque minima pervadebant, & detergebant, ut quæ præputii fibras in ficos, ſeu verrucas produxerat materies, per hæc prorſus ſanguinis fluento redderetur, & per urinæ vias amandaretur; unde ad priſtinum contactum, & poſitum fibris redeuntibus, morboſarum excreſcentiarum, quæ alias per cauſtica auferendæ fuiſſent, veſtigia delebantur. Sed cum nimium verum ſit, quod adnotavit Bartholinus (*a*) nos laborare defectu diureticorum, quæ prompte effectus ſuos edant; pauca admodum ſunt, quæ laudari poſſunt, quæque partibus ex gonorrhœa laborantibus auxiliari queant. Tria ſolum non nomine tantum ſed re diuretica, atque in gonorrhœa utilia, dummodo apta quantitate exhibeantur, hactenus obſervatio me docuit. Raphani hortenſis ſuccus:

(*a*) In Epiſt. ad Wepfer. apud Bonet. T. 2. Poly. alth. l. 4. c. 32.

cus: Terebynthina: & Cantharidum infusio Bartholiniana. Infusione cantharidum, gonorrhæam curavi, quæ ægrum sæpius sæpius tali morbo exercitum, per binos ferme annos desatigabat, tribusque medicis crucem fixerat. Therebynthina non lota cui glycirrhisæ, pulvis immiscebatur juvenis cui æquor arandum era, quique suum morbum socios celare debebat, nihilobstantibus navigationis laboribus, erroribusque in vitæ regimine, adeo morbum edomavit; ut in terram redux vix morbi reliquias secum veheret, quæ facillime bis sumpta emulsione cathartica, disparebant. Ex olla, qua Therebynthinata polenta servabatur, bis de die, mane, & sero, quantum nux juglans de Therebynthina digitis extrahebat, atque vorabat. Succo vero raphani plus triplici vice morbum hunc, modo injectionibus in subsidium accitis, modo sine iis debellavi. Juvenis de quo scribo, felicissime tali remedio, gustui quidem, sed magis olfactui oppido injucundo, summe tamen diuretico, sanabatur; remanente solummodo aliquo punctionis sensu in penis erectione, ad locum quo ante dolebat. Quæ res non solum Doctissimi Morgagni sententiam confirmat (*a*) docentis primariam gonorrhææ sedem in urethræ majoribus canaliculis statuendam esse; sed usum etiam injectionum utilissimum demon.

(*a*) *Advers.* 4. animad. 9.

monstrat, quæ immediate affectam partem tan. gendo curationem faciliorem reddere possunt, & reddunt. Scio quidem istas ab Pitcarnio (*a*) improbari, quasi carunculis ortum præbeant; sed tempora morbi, injectionumque materies distinguenda sunt. Qui iis ex rebus mucilaginosis confectis utuntur ad urinæ ardorem tollendum, dum nempe morbus adhuc est in vigore, caruncularum exitum promovere utique possunt; uti luem sanguini immittere, qui eas ex adstringentibus confectas tempestivius adhibent. Sed qui illas ex balsamicis, & detergentibus in fine morbi, in usum revocant ad vestigia gonorrhææ delenda quæ alias diutissime durare solent, mihi bene facere videntur neque unquam ex hac Praxi, quæ mihi solemnis est, vel carunrulas, vel luem exortam vidi. Sed de hisce, forte alias.

(*a*) Elem. M. M. c. 26. paraph. 5.

F I N I S.

RA-

RARIOR PHTHISIS OBITER

Chronica Lumbago Rheumatica (morbus forte non ſatis illuſtratus) deſcribitur.

OBSERVATIO VI.

G.

C*Alculoſa Matris filius* annorum 18, gracilioris temperaturæ cui pectus depreſſius, longius collum, prominentes ſcapulæ, genæque roſeæ; a laboribus autumnalibus, potiſſimumque ob ſuſceptam, tali anni tempore, auram nocturnam (ſub Jove ſiquidem frigido, fere per totum Septembris menſem ob graviores æſtus in ſubdiali lapideo ruri, obdormierat) *contrahit Rheuma lumbare*. Ab hac ægritudine ſequenti hyeme, & veris initio divexatus; hoc declinante, ut illi mederer me accerſit. Tunc truncum ſine doloribus vix flectere poterat, a quibus noctu ægrius, quam interdiu ſe habebat. Neque ſolum regionem lumbarem dolor occupabat; ſed etiam ad obliquos, tranſverſoſque abdominis muſculos extendebatur. Inde ortas in

abdo-

abdomine distensiones, flatibus tribuebat adolescens cervicosus, ob id, quia se flatibus maxime obnoxium ajebat; vixque aures mihi præbebat asserenti, ideo distensionibus, obliquos transversosque abdominis musculos divexari, quia a vertebris lumbaribus, ubi sedem morbus fixerat, magnam partem, nascebantur. Deerat cibi cupiditas, pulsusque aliquando inordinatior apparebat. Ut stagnantes succos ad lumbares vertebras exturbarem, præmisso laxante leni, ex cassiæ flore, & Tartaro, præscribo cucurbitulas cum scarificatione, dorso, lumbisque admovendas. Æger tamen a vetula consultus, malebat sibi hirudinum ope hæmorrhoidalia vasa aperiri. Ac quamvis *rationali Praxi magis consonam* cucurbitularum admotionem, quam hirudinum appositionem edicerem; ille nihilominus, cui nescio, an levius, vel pervicatius ingenium, accersito Chirurgo, sibi, tanquam ex meo præscripto hirudines ano apponi jubet. Hoc me Pater ejus commonefecit, obnixe rogans, ne gnatum, quem unice amabat, objurgarem. Postea salviæ folia lacti incocta impero. Aliquo levamine, tali utebatur remedio; cum quadam nocte vehementissima, ac delassante tussi correptus, cum totius corporis concussione, extussiit cum pauco sanguine, frustulum osseum, album, durum, duabus ramosis, protuberantiis asperum,

coral-

coralloidem repræhesentans; quod cum apud me asservare cogitassem, ægri Parentes illud mihi concedere renuerunt. Cum enim eos superstitio (an potius amentia?) cæpisset, filium a Lamiis divexari, osque excretum, Dæmoniacum opus esse, sibi animum induxissent, Religioso cuidam, cui forte levior, nisi callidior mens, illud crediderunt, quo de postea, quid factum sit, nescio. Crassities excreti ossis, erat quantum apex digiti auricularis: longitudo, uncia fere, & dimidia. Binæ protuberantiæ prope ossis caput exortæ, ramos arborum juxta truncum præcisos perbelle exprimebant. Una, altera depresssior, neque ex adverso, neque ex eadem ora. Tunc ego remis omnibus, ut dicitur, velisque, obnitebar, ut nodum haud Dæmone vindice dignum, ostenderem; nec opus esse hunc in scenam adducere, cum a caussis solummodo naturalibus, a succorum suorum indole: forteque ab hæreditate materna, concretio hæc ossea potuerit exoriri. Id exemplis illustrabam calculorum nedum in cavitatibus nostri corporis, sed in cerebro, in musculorum carne, sub lingua genitorum: ostendebam tophaceæ substantiæ calculum, quem elegans rustica puella, Rheumate maxillam inferiorem, collum, scapulas, occupante, laborans, tussiendo ejecerat: concretiones in pulmonibus a plerisque visas: Pulmones quasi arena plenos in

stre-

ſtrenuo potatore, qui ob Phthiſim obiit, a me inventos. Boum cerebra, ſeu lapidoſa, ſeu oſſea: cerebro ſinus, ac vaſa arterioſa in os ſæpiſſime converſa narrabam. Nondum mihi Boneti opera comparaveram, neque legeram, ut calculos quoque tuſſi ejectos ex Valentini (*a*) obſervatione illis objicerem. At laterem lavabam: ita enim Parentes, familiam totam invaſerat ſuperſtitio, ut poſthabitis quibuscumque humanis auxiliis, precibus ſolummodo expiationibusque ægrum reſtituere vellent. Adeo verum eſt, quod graviſſimus Philoſophus Plutarchus. (*b*) adnotavit, nullum eſſe metum, *qui perinde ab agendo abducat, atque hæſitare cogat, ac ſuperſtitio*. Id ego ſolummodo lucri feci, quod in ejus matris indignationem incurrerim, quia filii morbum, maternam hæreditatem appellarim. Sacerdotibus itaque juvenis cura commiſſa: Inde æger melius ſe habere dicebat, domo exibat; nullo victus regimine utebatur: quin aliquando me coram, ſe ſanum contra Medicorum ſententiam (ita enim ajebat) profitebatur. Attamen lumbi rigidi, & inflexiles, illum, dum ambularet, ſatis mendacii arguebant.

II. Salva ſemper auxiliis ſpiritualibus reveren-

(*a*) M. S. T. 2. Paraleip. ad ſect. 15. l. 2. Obſerv. 1.
(*b*) L. 1. Moral. de Superſt.

verentia, quod commodius ille degeret, decoctionis adhibitæ usum, vimque cæli æstivam causabar. Sinerent, donec insaluber rediret autumnus, tunc ægri res in pejus ruituras. Nec me mea prognosis fefellit, appellente enim autumnali æquinoctio, summeque inequali existente cælo, febricula corripitur, quæ matutinis horis vix se manifestans, ab assumpto cibo, cum genarum rubore, calore præsertim in volis manuum, frequentiore anhelosoque spiritu, sicca tussicula, levi dolore sub dextra mamilla, frequentiore, ac celeriore pulsu, manifestabatur. Ab Empirico quodam, Cathartico, nescio quo (prius tamen benedictionibus probe a Sacerdote lustrato) copiose purgatur. Sed cum inde omnia pejora, ad me accuritur. Renuo primum accedere: sed postea exorari me sino (neque enim aliter facere poteram Medicus publico sostro ductus) atque præter recensita mala, ægrum male admodum de nutritione se habentem invenio, liquidioreque, quam opus erat, alvo.

III. *Ad Phthisim ægrum vergere* obnuntio. Sumptis ob id indicationibus, succos in Pulmonibus stagnantes, sanguinisque lentam diathesim corrigendi; Pulmones roborandi; alvum fusam sistendi, tussim moderandi, nutritioni consulendi, præscribo statim, summo fructu ex Ettmullero pillulas sero sumendas

ex antihectici Poterii ℈ j; salis Saturni gr. vj, extracti croci gr. vj & laudani opiati gr. iij pro duabus dosibus; alvus siquidem sistebatur, tussisque minus erat molesta. Alvo solida facta, *uncias quinque sanguinis* e manu lateris dolentis extrahendas præcipio, qui non durus, sed maxime viscidus apparuit. Gelatinam deinde mane ex c. c., & Cinnæ radice, sero, emulsionem, ex melonum, & papaveris albi seminibus, cum amygdalis dulcibus quotidie exhibebam. Præscripsi quoque suffumigium humidum per tubulum hauriendum ex Traumaticis herbis; quibus per sexdecim dies continuatis, ventum est postremo ad usum lactis distillati cum Pulmone agnino, radicibus glycirrhisæ, cannæ montanæ, foliis tussillaginis, Chærefolii, ac Pulmonariæ maculosæ, cui præmittebatur bolus ex nitro papaverato, & antihectico Poterii, paucis guttis Balsami Peruviani exceptis.

IV. Post unam lactis distillati dosim consumptam, sex dierum spatio, quodam mane mihi visus est apyretos, cessavitque sub hujusce remedii usu intra mensem tussis, dolor, & postmeridiana anhelatio. Pulsus adhuc aliquantulum frequens, sed calor mitis etiam ad arterias. Quin cum vires redirent, & deperdita nutritio videretur restitui, horis quoque serotinis, illum sine febre degere facile mihi suadebam. Tunc igitur diætæ lacteæ loco,

cujus usum æger respuebat ; denuo præscriptis emulsionibus mane , & sero sumendis ex amygdalis, melonum seminibus , & nucleis pineis ; eoque commonefacto , se subjectum tabi oportunissimum esse, ab ejus visitatione me subduxi. Ejus Parentes, qui Prognosim quam de ægro instituéram , male admodum habuerant, me tanquam in morbi cognitione deceptum, liberrime traducebant.

V. Adolescens sibi nimium fidens , meisque admonitionibus non auscultans; ut sanitatem ostentaret , domo exibat , licet temporis constitutio, quæ tunc obtinebat , austrina , & maxime nimbosa esset ; En itaque ad Decembris finem tussis redux , ac sanguinis floridi, spumosique expuitio , cum dolore ad scrobiculum cordis, prout mihi retulit ejus Genitor, qui cum vasculo collecti sanguinis , ad me , morbo Naroniano laborantem (cujusce ferini morbi historiam aliquando editurum me spero) accurrebat , rogatum auxilium . Præscripsi e lecto haustum ex aqua succi Plantaginis, & papaveris Rhæados, cum ejusdem papaveris tinctura , a quibus denuo videbatur convalescere. Itaque denuo domo exibat , atque ad solita redibat. Quin sub Bacchanaliorum finem in nuptiis consanguinei , plura errata , me coram , quasi de morbo, & medico triumphum agens, commisit , pro quibus

tamen brevi pœnas daturum prædixi; neque fallebar. Namque Quadragesimali tempore denuo lecto committitur, ac post viginti dies a decubitu, ad illum invisendum accersor, quem inveni macie confectum; tussi inani vexatum, *nihilque fere, nisi pauca viscida, & tenacia expuentem*, tametsi in pectore strepitus sputi adesset. Aderat continua, & frequens anhelatio: non poterat super latus sinistrum decumbere; vixque per lectum moveri: pulsus frequens, celer, & debilis: in sinistro carpo aliquando deficiens, & fere semper inæqualis; cibi tamen desiderium, quod mirum, vigebat, & copiose comedebat. Nihilominus, quod magis mirum cuicumque videbitur; nedum æger tot ærumnis conflictatus, sed etiam Parentes ab impotenti amore occæcati, eum bene se habere ajebant, meque ulcus, quod ad narem sinistram eruperat, prout servus sanioris mentis mihi narravit, celabant. Itaque tale ulcus inspicere volui, quod excitabatur ad femoris sinistri protuberantiam, nullo adhuc malo colore præditum; circa quod aliæ etiam excitabantur vesiculæ humore alto plenæ. Loco aquæ rosaceæ, qua ulcus & vesiculæ abluebantur; adhibito fotu ex mentha, origano, Salvia, Lavendula, vino, & aceto, ad partes æquales incoctis, ulcus sanabatur, & vesiculæ subsidebant. Instituta fatali Prognosi, Julapia nescio quæ, præscripsi, &

pul-

pulverem Conerdingii in decoctis Traumaticis; donec mense Martio sub Æquinoctium vitam cum morte commutaret, postquam per tres dies, in agone vixisset. Agonem, leve delirium, & alvus fusa præcessit.

VI. Cadaveris aperiendi copia facta; id præstabatur coram multis ex ejus consanguineis, quibus prædicebam, tubercula suppurata; *sinistrum Pulmonis lobum costis adhærentem*; & forte concretiones præternaturales inveniendas. Verum vix Chirurgus e dextro latere diaphragma perforaverat, ut sternum, sicuti moris est, elevaret; cum pus in pectoris cavitatem effusum, in magna quantitate per perforationem exiit, viride, liquidissimum, ac fætens, quod delicatulos circumstantes abigebat. Ego ut Chirurgus sternum elevaret, urgebam, qui tamen propter fætorem ab opere cessare cogebatur. Ut melius potui in cavitatem inspexi diaphragmate a sinistra quoque parte cæso: cujus partis lobus costis adhærebat, dexter verò erat omnino corruptus.

VII. Si quæ singillatim infelici huic adolescentulo successerunt, spectentur, aliquam raritatis notam præseferunt; eo magis si collective sumantur, historiam constituunt, neque ex passim obviis, neque relatu indignam, & Praxim medicam exercentibus Tyronibus, forte non inutilem. Cujusce rei me

certiorem lectorem facturum puto, si quasdam appendiculas hujusce casus occasione exortas, hic subnectam. Eas vero, cum in ordinatam Dissertationem colligere operosum duxerim; satius putavi eas, prout in Musæo meis utilitatibus, atque usui natæ sunt, subiicere.

VIII. *Calculosæ Matris filius*. Quid calculo Matris cum lumbagine, & Phthisi filii quispiam reponet? Quamvis in universum haud verum Hippocratis effatum existimem, ***morborum***, nempe, ***omnium unum eundemque modum esse, ipsum vero locum differentiam facere*** (*a*); attamen in hoc casu morbi matris, ab eo quo laboravit filius, diversitas, a locorum solummodo differentia pendere puto, cum utrobique fluida concrescentia habeantur, & si concretionum loca, concretaque ipsa eadem minime sint, ob peculiarem individuorum constitutionem, & causas procatarcticas, quæ in filium agere potuerunt. Forte enim filii concrescibiles humores ad lumbos decubuerunt, quia iste super Paradromis lithostratum, levioribus tegminibus superstratis, decubuit: quemadmodum innuere visus est Hippocrates, senem (*b*) lumborum dolore, cruribusque, ac coxis laborasse, quia sedebat in marmoreis vestibulis. Quidquid tamen

(*a*) De flatib. tex. 4.
(*b*) Epid. 4. tex. 23.

tamen hac de re ſit, illud ex ratione, obſervatione, & auctoritate aſſerere poſſe mihi videor; peculiarem Thoracis in filio conſtitutionem in cauſa fuiſſe, cur ibi ſucci concreſcibiles coagularentur, Phthiſimque cauſarentur. Quotidiana obſervatio nos docet, tali pectoris conſtitutione præditos, tabi opportuniſſimos eſſe; unde Galenus *(a)* ex Hippocrate, talem Thoracis conſtitutionem *tabem nativam vocavit*. Et jure quidem: nempe cum arctius pectus arguat, difficile pulmo in illo expandetur, ſanguiſque illac difficulter præterfluet; unde, vel e vaſis erumpet, vel inibi concreſcet. Sanguinem verò difficulter, ita fabrefactum Pectus perfluere, genæ roſeæ oſtendunt. Cum enim Pulmonalis vena haud prompte ſanguinem in cor ſiniſtrum elutriet; dextrum cor difficilius deplebitur: truncus ſuperior venæ cavæ non exonerabitur: in jugularibus ſubſiſtet cruor; quarum propagines per faciem reptantes eo diſtentæ in conſpectum venient, roſeoque colore venas depingent. Reor itaque ſuccos, vel ex ſe coactioni obnoxios, vel a vi autumnalis cęli, & nocturno aere tales redditos; ob decubitum ſuper ſtrata lapidea circa lumbares vertebras coaluiſſe, ac Rheuma lumbare excitaſſe, e glandulis item faciei poſterioris Trachææ ſtillantes in oſſeam concretionem ſe ſe

(a) Sup. 3. Epid. Ægr. 6.

efformasse; quæ nodosis protuberantiis, modulum in quo coaluit, tracheam nempe in bronchia se dividentem: repræsentavit. Ætas, & anni tempus tali quoque morbo favebant. Phthisis etenim iis maxime accidere solet, qui sunt in ætatibus ab anno decimo octavo, usque ad trigesimum quintum ex Hippocrate (*a*); qui memoriæ etiam consignavit tabes autumno potissimum exoriri (*b*).

IX. At qui fieri potuit, dicet aliquis, ut ossea concretio in Pulmonibus genita, protuberantiis potissimum aspera, vi tussis e Pulmonibus ejici potuerit? Qui hoc factum sit, dicere nescio: quomodo vero fieri potuerit, ita censeo. Haud a ratione abhorrere mihi videtur conjectura illa, per quam puto è succis illis dictam concretionem coagmentatam, qui a glandulis Trachææ, exterius super musculosam tunicam positis, canaliculos ex Morgagnio (*c*) in Trachææ cavum immittentibus, stillant. Porro puncta canaliculorum excretoria, ubi inter musculares Trachææ lacertos interstitia relinquuntur, in conspectum veniunt; prout ex Celeberrimi Auctoris præclara Tabula prima, conspici datur; proutque alio loco demonstrat (*d*), obliterantur vero ex dictæ Tabulæ conspectu

post

(*a*) 5. aphor. 9.
(*b*) 3. aphor. 22.
(*c*) Adverf. 1. num. 25.
(*d*) Adverf. 5. animad. 39.

post secundam asperæ arteriæ divisionem. Illic igitur ad summum non in penitioribus bronchiis concretio coalescebat, cum eo usque solummodo lymphæ concrescibilis fontes aperiantur. Modo si quis talem situm, vel animo concipiat, vel oculis intueatur: ille næ dignoscet inde corpus solidum vi tussis vehementis extrudi posse. Atque en quantum opis ad morborum etiam infrequentium sedes, non insulse conjectandas exactior exculta anatomes, conferat: cujusce utilitatem nedum in explicandis phænomenis, sed etiam in morborum curatione instituenda, ex aliis locis harum observationum patescit.

X. *Contrahit Rheuma Lumbare*. An lumbaginem illam, cum inflammatione conjunctam, de qua potissimum Sydenhamius (*a*) & Boerhaavius (*b*) verba fecere? Minime, sed chronicum circa lumbos dolorem, qui partium lumbarium motus impediret. Quo de morbo si Baglivum excipias, qui pauca admodum de eo habet (*c*) cum altum sit apud Auctores, quos evolvi, silentium (Arnoldus Boot, qui de affectibus omissis scripsit, an de eo scribat nescio, quoniam hunc Auctorem in fonte, ut dicitur, nondum mihi videre contigit) ego vero per multos annos eo fuerim con.

(*a*) In Rheumat. descript. p. mihi 315.
(*b*) De cognos. & cur. 1494.
(*c*) *Prax.* l. 1. de calculo, & Podag.

conflictatus, eodemque & Virgunculam, & juvenem de quo scribo, laborantes viderim: operæ pretium me facturum duco, si data occasione de eo hic pauca loquar, eaque narrem, quæ ex observatione didici.

XI. Graciliores, humidioresque morbus hic corripere solet, atque eam ætatem, quæ a pubertate, usque ad incrementi finem transcurrit. Causas præternaturales eas sequitur, a quibus solida laxiora efficiuntur, hominemque potissimum aggreditur cum lumbares musculos plurimum defatigavit. Dolore gravativo, obtusoque lumbos afficit, eosque quasi ligatos, quibuscumque muniis obeundis ineptiores reddit. Noctu, quam interdiu gravior est, humidisque temporibus ingravescit, quæ certius, ut in me toties expertus sum, quodlibet Instrumentum tempestatum mutationes præsignans, minime prædicit. Lumbos nunc unum, nunc alterum, prout dextro, vel sinistro magis incubuerit morbus, attollit: tandemque iis, quos diu exercuit, paulatim superiores lumborum vertebras, extra prolabi facit: Tunc crurum, tibiarumque musculi levibus contractionibus, frequentioribusque subsultibus, aliquando etiam torporibus afficiuntur; quibus tamen homo ita assuescit, ut facillime eos ferat. A quibuscumque externis, si humidiora apponantur, vel maiore exsiccandi facultate prædita non sint;

aut nihil proficitur, aut morbus augetur; qui neque purgantibus, ſudoriferis, diureticis, Mercurialibusve cedit, niſi pro tempore; hominem vero ſolummodo deſerit; cum ſeipſo craſſior, habitiorque factus fuerit. A ſanguinis eductionibus, ſive ex brachiis, ſive ex cruribus, dolores, qui quandoque urgentiores fiunt (ut mihi aliquoties contigit) ſedantur; quod tamen facilius obtinetur a cucurbitulis ſcarificatis: Veſicatoria, lumbis dolentibus appoſita, morbum extenuant. In ſumma, quantum obſervatio, & mehercule diligens (de meo ſiquidem corio ludebatur) mihi dictavit; exſiccantia; nervina; corroborantia; opiata, morbum leniunt; ſed non tollitur, niſi, aut ætate, aut victus ratione, aut regionis mutatione, robuſtior æger, toroſiorque evaſerit. Tuncque haud equidem omnino prompte, agiliterque ſed ſatis bene, ac ſine dolore ſuis muneribus lumbi funguntur; neque a vertebrarum prolapſu truncus obliquatur, licet circa regionem lumbarem ſinuationem illam truncus deperdat, quæ decori, & pulcritudini facit.

XII. Morbum hunc *Rheumatis* nomine inſignivi, non quia proprie voci Græcæ reſpondeat; ſed quia uſus obtinuit, collectiones humorum, fluxionum nomine donare. Quas, quoniam in iis ad affectam partem, non cogi, ſed fluere humores, putabant veteres, &

vulgus

vulgus adhuc putat; ideo ῥεύματα a ῥέω; quod est *fluo*, ac *fundo*, appellarunt. Ita cum sic volet usus *quem penes arbitrium est*, & *jus*, & *norma loquendi*, haud semper rebus suis nomina conveniunt.

XIII. Si quis quærat, sub quanam ægritudinis categoria morbus hic peculiarius describendus esset; ad dolores illos quos Hippocrates κέδματα vocavit, facile reducerem. Neque enim tali nomine eos peculiariter dolores magnus magister intelligit, qui circa crura, ac potissimum circa femoris articulationem fiunt, quemadmodum Galenus (*a*) putavit; sed dolores articulorum diuturnos, non admodum vehementes, quorum materia a prædominio, pituitosa est, sicuti Martianus (*b*) recte explicuit. Hosce dolores iis accedere, qui carnes effæminatas, laxioresque habent, ex eodem Hippocrate intelligi datur; qui ædmatibus obnoxios Scythas, quibus victus humidior; cęlum frigidius; humidiora, & laxiora corpora; ac præ continua equitatione propendentibus ex equo cruribus, delassata habent, adnotavit (*c*). Ob id, ei cui genua dolent equitare inimicissimum (*d*) Podagricoque alienissimum putavit Celsus. Quod tamen nostris temporibus non ita verum existimo,

(*a*) In exeges. & in comm. 1. in 6. Epid.
(*b*) Sup. l. de effectio. tex. 31.
[*c*] De a. a. l. 1. tex. 5.
(*d*) l. 4. c. 33. 34.

mo ; ut podagrico, cum poteſt, equitare quandoque non conferat; cum ex eo, quod non equitemus, ut ſolebant antiqui, docentque ſculpta marmora, propendentibus ex equo cruribus, ſed ſtapedibus innixi, de quibus, quantum ſcio, altum apud veteres auctores ſilentium; tum potiſſimum quia podagra, viſcera chylopæa debilia, vitiataque ſequitur, quorum viſcerum debilitati, mirum, quantum conferat equitatio.

XIV. Ut, quæ morbum antecedunt, laxitatem funiculorum, ſeu ligamentorum, quæ vertebras firmant, oſtendunt; ſic morbi exitus, eum articularem eſſe docet. A laxitate, & flacciditate fibrarum luxationes accidere; & Ettmullerus (*a*) adnotavit; & de vertebrarum peculiariter prolapſu, Celſus (*b*) docuit. Ab humore vero vitioſo intra articulum ſe ſe inſinuante; & Hippocrates, qui *gibboſitates propter collectiones intra ſpinam* (*c*) fieri ſcripſit; & laudatus Ettmullerus, loco citato, notarunt. Puto igitur, quod in caſu, & laxata ligamenta, & vertebrarum mucus vitiatus, morbum creent, vertebraſque e ſuo loco excidere, prima ſinant, alter vero faciat.

XV. Haud me latet, Clar. viris Schneidero, &

(*a*) Chirurg. Medic. c. 1.
(*b*) L. 8. c. 14.
(*c*) De artic. tex. 38.

& Hardero apud Bonetum (*a*) somnium esse hanc intra articulos humoris collectionem. At præterquamquod glandulas mucilaginosas Haverianas isti minime noverant (*b*); Ettmulleri observatio de ossibus cranii, cum dolore intensissimo, ac quandoque cum sonitu, ob viscidum lentumque humorem intra cranii suturas illapsum, a se invicem disjunctis (*c*) satis probat, vel ab extra, intra ossium syntheses mucum illabi, ac coacervari posse. Eo etiam spectat Poupartii Observatio altera (*d*) qui invenit in Scorbuticis ossium epiphises ab ossibus disjunctas, unde ossium strepitus Scorbuticus, ab humore procul dubio inter os, & epiphisim se se adigente. Posthabitis itaque Schneideri, & Harderi auctoritatibus, haud alienum a probabili duco, mucum ab Haverianis glandulis separatum, & illiusmodi fuisse, qui ligamenta laxarit, & qui intra vertebrarum articulationem, concreverit: sicque duobus de nominibus vertebræ exciderint; cum vi, quæ eas extra locum pellebat, quæ arthron firmabant Machinamenta flaccida, & laxa, resistere minime potuerint. Hanc morbi ideam, non jam adumbravit, sed graphice delineavit Hippocrates, cum scripsit: *Mucus omnibus* (articulis nempe) *a natura*

(*a*) Sepul. anat. l. 3. l. 4. sec. 8. Obser. 2.
(*b*) Apud Heist. in C. A. de glandulis speciatim 344.
(*c*) Colleg. Pract. l. 2. sect. 5. artic. 6.
(*d*) Memoir. de l'Accad. *Royal* des Scienc. an. 1699.

natura est, & quum hic purus fuerit, articuli sani sunt, & bene moveri possunt, utpote lubrici inter se ipsos, labor autem, & dolor, ubi a carne humiditas fluxerit vitiosa.... & ut multa existens, & articulo ipsam non capiente effluit, & male stabilita elevat nervos, quibus articulus colligatur, ipsosque inconnexos, ac dissolutos facit (*a*). Quæ optima doctrina explicationi aphorismi inserviet: *Quibuscumque a coxendicum morbo vexatis, coxa excidit, & rursus incidit, his mucores accedunt* (*b*), quos ustione curandos bene admodum præcipit.

XVI. Ad hanc morbi Ideam ulterius confirmandam, binas alias Coi senis Observationes subjiciam, per quas quisque descripti morbi Ætiologiam, non jam ex hypothesi; sed ex iis, quæ visuntur, quæque in potestate nostra sunt, facilime concinnare sibi poterit, indicationesque eruere pro tali morbo curando: Prostat utraque in libro de articulis (*c*). Prima est, quod carnosis difficilius excidant articuli, difficiliusque reponantur, tenuibus vero, e contra; quod Boum probat exemplo, qui ad hyemis finem, cum ob prægressos labores tenuissimi fiant, facilius luxantur, iisque femora ex acetabulo exci-

dunt;

(*a*) De loc. in homin. tex. 14.
(*b*) 6. 51.
(*c*) Tex. 6. 8.

dunt: Altera eſt, quod mucoſiores omnino ſint articuli excarnibus, quam carnoſis.

XVII. Contra talem morbum, ſi lacteam excipias diætam uſtioneſque, quarum utræque apprime, ni fallor, conveniebant; omne remedii genus expertus ſum; at vel nullo fructu, vel ſolummodo temporario levamine. Tria tamen, præ cæteris omnibus, eaque extra adhibita, majus adjumentum attulere. Primum fuit mixtura ex S. V. & Laudano cydoniato Helmontii: alterum a Clariſ. Weinhart depromptum (*a*) ex S. V. unciis ſex, quibus flores roriſmarini, ſalviæ, lavendulæ, majoranæ, ſingulorum pugilli duo; cardamomi drachma, & caſtorei ſcrupulus immittendi. Poſtquam ſteterint per duos dies in digeſtione vas quotidie agitando, addit auctor oleum ſpicæ ſtillatitium, quod tamen ego non immiſcebam, ſed ſola prima mixtura lumbos fricabam. Tertium vero, quod quæcumque alia longo poſt ſe reliquit intervallo, docebat me ruſticus (neque enim me pudet fateri per quem profecerim) ſicque parabatur. Sumebantur e fænili fæni quiſquiliæ. Hiſce probe in aheno calefactis, addebatur nigrum temetum cum ſale communi, ad eam quantitatem, ne fænum in vino nataret, adhucque calefieri, ligno mixturam agitando, ſinebatur. Mixtura inde in ſaccum in-

(*a*) Medic. offic. in formul. remed. arthritic.

includebatur, ſuper quem lumbos, coxaſque tunc ſumme dolentes, extendebam. Ab hoc tamen thædii pleno morbo, tunc ſolummodo perfecte convalui, cum apud Nigro-Coruſræos per tres annos Medicus, ubi ſcriptum juvenis obſervationem habui, craſſior, toroſior, habitiorque factus ſum. Sic experimento verum eſſe Hippocratis effatum didici, maritimum locum, maxime ad ſalutem commodum eſſe (*a*). Perfecte, inquam convalui, ſi præſcindas a vertebrarum prolapſu, contra quem muliebrem thoracem, ut opus erat, confectum per annum geſtavi; neque enim mihi arriſit. Hippocratis ſcamnum; neque repoſitioni vertebrarum quam molitur Scultetus (*b*) me ſubiicere volui. Prolapſus tamen optime firmatus, neque me gibbum facit; neque equitationem, curſum ſaltationem, aut venationem impedit. Virguncula, cui poſt lumbaginem, vertebræ cædem excidere; famulitii, cui addicta erat, muniis, ſatis bene fungebatur. De Rheumate lumbari ſatis.

XVIII. *Ac quamvis rationali Praxi*. Haud pauca erant quæ mihi rationabiliorem cucurbitularum ſcarificationem, præ hirudinibus ano apponendis, ſuadebant. Cum enim ex Anatome ſcirem, hæmorroidalia vaſa haud immediate cum lumbaribus, quæ ab cavæ

L trun-

(*a*) Præcept. tex. 13.
(*b*) Armam. Chirurg. Tab. 25. fig. 2.

trunco antequam dividatur, abſcedunt, communicare; ex hæmorrhoidalium depletione, lumbaria vaſa depletum iri, in iiſque ſtagnantes ſuccos dimorrendos eſſe, minime rebar. Quod tamen per cucurbitulas poſſe præſtari putabam, cum (præterquamquod in me cæperam experimentum) ex Doctiſſimo Bellino ſcirem, quod ſi aliquid lentoris alicubi ſtagnet, aut hæreat, facilius dimoveri poſſit; ſi incidantur capillares loco affecto proxime quam truncus longius ſitus (*a*). Bellinianis porro demonſtrationibus mirum, quantum faveat Hippocrates, & obſervatio. Magnus bonæ Praxeos parens, morbos *circa locos* curare præcipit (*b*) aitque, quod *morbi ea parte, qua proximi ſunt, extrahendi ſunt, & qua parte ſingulis exitus quam proximus eſt extrahendi* (*c*). Quamobrem dolores ſupra ſeptum tranſverſum, qui purgatione opus habent, per vomitum ducendos docuit (*d*). Cum obſervaſſet capitis dolorem per loca vicina ſolvi; *capitis dolorem ſolvit pus per nares, aut ſputa craſſa, ſolvit etiam ulcerum eruptio* (*e*) hunc circa locum curat, atque ſcarificationibus,

(*a*) De ſanguinis miſſion. Prop. 5.
(*b*) 1. de morb. mul. tex. 32.
(*c*) De loc. in hom. ſect. 2. verſ. 285.
(*d*) Aphor. 4. 8.
(*e*) Coac. Prænot. verſ. 231. & 2. Epid. ſect. 6. verſ. 36.

nibus, venarumque inuſtionibus morbum extrahit (3) Quod remedii genus apud Pænos quoque prophylactice uſitatum lego ex Herodoto (a) qui pueris verticis venas lana ſuccida inurere ſolebant, ut eos a diſtillationibus præſervarent. Hiſce Hippocratis auctoritatibus innixus, demonſtrationeque Anatomica Claris. Valſalvę (b) & Morgagni (c) experimento fretus, naviculárum conſtructori, qui ab aliquot annis contumaci cephalalgia laborabat, contra quam, tantum non omnia præſidiorum genera ex multorum Medicorum præſcripto adhibuerat, iis exceptis, quæ circa locum uſurpantur; cucurbitula ad occiput profunde ſcarificata, ſanitatem reſtitui; quod remedii genus etiam a Celſo (d) contra phrenitidem præceptum invenio. Huc facit etiam efficaciſſimum remedium, quod tanquam ſuum inventum proponit Lanciſius (e) contra Pleuritidem, licet illius Galenus meminerit (f) Riveriuſque (g) & præcepto, & obſervatione illius efficaciam commendarit; cucurbitula nempe loco dolenti affixa; qua hyeme, quæ proxime lapſam anteceſſit (1730) Chirurgum noſtratem

(3) 2. de morb. & I. affect. tex. 2.
(a) In Melpomen.
(b) De aur. human.
(c) Adverſar. 6. animad. 83.
(d) l. 3. c. 18.
(e) In Differt. de vena ſine pari.
(f) De curatio. per ſang.miſ. c. 17. & 2.ad Glauc.c.7.
(g) Prax. l. 7. c. 2. Obſer. Centur. 3. 39.

tem a sæva Pleuritide , incantamenti ad instar liberavi. Quid plura? Zacutus, Lusitanus (*a*) binos tumores linguæ suffocantes, aliis frustra tentatis, sanavit; primum quidem quatuor hirudinibus linguæ affixis, unde sanguis copiose fluebat; alterum vero profundis scarificationibus lingua incisa. Vir in Praxi apprime doctus Jonstonus (*b*) contra quoscumque linguæ tumores, venarum sub lingua sectionem imperat; Celsusque in anginæ curatione (*c*) recte sub mento, & circa fauces ait cucurbitulam admoveri, ut id quod strangulat, evocet; incisionesque satis altis plagis sub ipsis maxillis, circa collum, & in palato circa uvam, si parum per cætera proficiatur, præcipit esse faciendas, ut per ea vulnera morbus erumpat. Quamobrem, nunquam satis miror, cur adeo obsoleverit apud nostri ævi Medicos morbis *circa locos* mederi. At isti derivationem, nisi revulsionibus peractis, non moliuntur. Dum quasdam argutatiunculas sive audio, sive lego, vix a risu mihi tempero. Hippocratis Praxim fuisse scio, ut quemadmodum in præservatione revulsionibus; sic in curatione morborum, derivationibus, paucissimis exceptis casibus, uteretur; atque partibus supe-

rio.

(*a*) l. 1. Hist. Med. Princ. obser. 47. 48.
(*b*) Syntagmat. c. 5.
(*c*) l. 4. c. 4.

riori bus laborantibus, superiores; inferiori bus inferiores venas secaret. At quilibet peculiarem, cui indulgeat, habet methodum. Mihi certe in casu dicto, rationibus, auctoritati, observationibusque satis innixo, utilior videbatur scarificatio, & circa locum medela, ut phrasi Hippocratica utar, præ hæmorrhoidum, ope hirudinum apertione.

XIX. *Ad Phthisim ægrum tendere*. Cautior potius, quam verior prognosis. Ex Riverio *(a)* tunc alvi fluxus confirmatæ Phthiseos signum est, cum adest quoque appetitus dejectus, gravior tussis, ac febris vehementior, quæ adhuc in nostro casu deerant. At ex Mortono, qui haud pauca cum laude Phthisiologiam ex professo tractavit; si tabidos Scorbuticos exceperis, qui semper in serosas colliquationes, per intestinales, & salivales glandulas propensi sunt; alvus fluida *(b)* cum aliis signis tabem indicantibus se comitem facit, certum est funestumque confirmatæ Phthiseos inditium. Verum quid hic Mortono, Riverioque opus? Mihimetipsi indignor, quod illius Hippocratis tunc non meminerim: *facie flores habente, & alvo, fluidiore, suppurationem circa pulmones habent* (*c*). Una, & altera vice in Praxi hoc verum esse notavi.

(*a*) Prax. l. 7. c. 7.
(*b*) Phthisiolog. l. 2. c. 2.
(*c*) In Coac. Prænot.

XX. *Nihilque fere expuentem*. En quantum fallantur ii, (sunt autem non pauci) qui e sputo tabidos dignoscere tentant; cum tamen si optimorum veterum scripta attente consulantur, & ipsa Praxis, Pulmonum suppuratio haud semper putrida, aut purulenta secum ferat sputa. Suppurationum signa, non uno in loco tradidit Hippocrates. Primo de morbis tex. 18. meminit quidem sputi purulenti, at eodem textu expresse ait, tabem fieri absque eo quod dolor, tussis, sputumque purulentum adsit; tuncque alia signa, pro talibus tabidis dignoscendis proponit. *Si vero horum nihil adsit* (dolor nempe, tussis, sputum purulentum) *suppuratus autem sit, ex his conjectare oportet: Spiritum multum habet, subraucosiusque loquitur, & pedes, & genua intumescunt, magis autem ab ea lateris mollitudinis parte, in qua pus est, & thorax concurvatus est, & membrorum dissolutio fit, & sudor per totum corpus difluit, & aliquando sibi ipsi videtur calidus esse, aliquando frigidus, & ungues circumtensi sunt, & alvus calida fit: Ex his suppuratos cognoscere oportet*. Libro quoque Prænot. tex. 16. suppuratorum signa proponens, neque de pure, neque de sputo purulento verba facit. Celsus, qui Latinus audit Hippocrates, dum eleganter, suo more, signa ab Græco Hippocrate in citato Prænot. libro exarata persequitur;

non

non solum de sputis mentionem non facit, quin, ait, ægros pene nihil excreare. At non inutile erit, ejus verba huc transferre; *Omnis suppuratio quæ nondum oculis patet sic deprehendi potest: si febris non dimittit, eaque interdiu levior est, noctu increscit: multus sudor oritur: cupiditas tussiendi est, & pene nihil in tussi excreatur: oculi cavi sunt: malæ rubent: venæ sub lingua inalbescunt* (hujusce signi, quantum ego scio, non meminit Hippocrates) *in manibus fiunt adunci ungues; digiti, maximeque summi calent: in pedibus tumores sunt: spiritus difficilius trahitur: cibi fastidium est: pustulæ toto corpore oriuntur.* (a). Hinc quisque videre potest, eos ex nostratibus Medicis, qui pro tabidis, solummodo purulenta spuentes habent, vel ad Phthisim dignoscendam igne, aut aqua sputa explorant; juste in Aretæi reprehensionem incidere. *Quicumque igne, aut aqua, humiditates hic explorat aut notat, hunc videri haud ita multum phthoem dignoscere* (b). Ei rei animus advertendus est, quod non ad diagnosim, seu sputorum seu morbi, humiditates, ut Aretæi verbis utar, explorat Hippocrates; sed solummodo ad prognosim: *quibus tabidis in mare spuentibus, pus ad fundum sidit, brevi pereunt: sit autem mare* (cujusce effati rationem non

L 4 video)

(a) l. 2. c. 7.
(b) De Sig. & caus. diuturn. c. 8.

video (*in aneo vase* (*a*). De sputo quoque super prunas conjecto : *& si prunis inspuenti, saliva graveolens sit, intra breve tempus ipsum moriturum esse pronuntia* (*b*). At non solum phthisim absque sputo, quæ res observantibus obvia quotidie, ut ita dicam, est; sed etiam absque tussi, & spirandi difficultate notavit Merchlinus apud Bonetum (*c*) in cadavere Virginis cancro mammæ, & mira plerorumque viscerum corruptione extinctæ; in qua pulmones marcidos invenit, tametsi nulla tussis, nullaque spirandi difficultas, eam toto morbi tempore afflixerit. Wincleruş etiam apud eundem (*d*) in dextra parte pulmonis infantis copiam Ichoris albi invenit, unde dyspnæa quidem, sed nulla tussis. In cujusce observationis Scholio ait auctor, quod Marcus Aurelius Severinus statuat Phthisim contra Galenum, in qua Pulmones non sunt exulcerati, sed quadam solummodo laxitate infirmi; idque fit quando mucore pituitoso, ac semiputri, diu multumque abluuntur.

XXI. *Alvo solida facta*. Concretiones in pulmonibus latere suspicabar, ac cruda tubercula, dum pro Phthisi incipiente, morbum curandum suscepi. Concretionum suspicio, ab ea exoriebatur, quam extussierat; cru.

(*a*) In Coac. Prænot. & 5. aphor. 11.
(*b*) 2. de morb. tex. 46.
(*c*) T. 2. M. S. l. 4. obser. 10.
(*d*) T. 1. M. S. l. 2. sect. 11. c. 1.

crudorum vero tuberculorum, a signis iis; quæ de crudo tuberculo tradidit Hippocrates: *& quamdiu quidem adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, & tussim siccam inducit* (*a*). Quod si maturationem jam adepta fuisse tubercula putassem, haud ædepol sanguinem illi eduxissem, quod in suppuratis, nisi aliquis urgentior affectus sanguinis missionem expostulet, eam noxiam ratione morbi existimem. Hac certe nuspiam in curatione Phthiseos utitur Hippocrates; neque Celsus contra Pulmonalem tabem hujusce remedii meminit: Inter recentiores, ab Ettmulero (*b*). magni nominis practico; improbatur, nisi aliqua sanguinis suppressio, morbo originem fecerit. At ex altera parte Riverius, Sydenhamius, Willisius, Pitcarnius, Morthonus, Boerhaavius, in Phthisi incipiente, sanguinem, vena secta, educere, necessarium auxilii genus, asserunt. Aperte docet ingeniosissimus Scoto-Britannus Pitcarnius, quod cum metus sit, ne sanguis stagnans, inflammationem, & abscessum, ulcusque producat, vena est secanda (*c*). An aliud præter suppurationem, & ulcus a tuberculis, quæ cruda adhuc putabam timeri poterat?

XXII. *Sinistrum pulmonis lobum*. Tametsi Hip-

(*a*) 1. de morb. tex. 14.
(*b*) Colleg. Pro. l. . sect. 2. 16. art. 1.
(*c*) Elem. M. M. M. l. 2. c. 26.

Hippocrates tradiderit, *quod si Pulmo ad latus prolapsus fuerit ad affectum quidem latus decubitum sustinet, non autem ad sanum* (a); nihilominus, cum alias Phtisicum viderim, qui post mortem pulmones costis adhærentes illi lateri exibuit, supra quod decumbere nequibat; idem judicium de ægro hoc tuli, neque conjectatio mea me fefellit. Phænomeni observati ratio, quam hic subiicio haud a ratione abhorrere mihi videtur. Magni Morgagni observatione (b) constat, quod neque in inspiratione a distentis Pulmonibus, tota Thoracis cavea impleatur, sed satis spatii inter Pulmones, & Thoracis parietes relinqui. Hinc fit, ut Pulmo, nedum in fortioribus inspirationibus, magis sese dilatare possit; sed etiam si Thorax ab vi aliqua externa leniter comprimatur, Pulmoni spatium, ad se quousque sat est, dilatandum, minimè tollatur. Quod si lateri Pulmo adhæreat, neque spatium debitum, Pleuram inter, Pulmonesque relinquatur; costis compressis, pulmo quoque comprimetur, indeque læsa respiratio fiet. Quæ costarum compressio, cum tunc eveniat, cum supra latera cubamus; Pulmonem tunc, si Pleuræ adnatum sit, in motu expansionis impediri necesse est, respirationemque vitiari. Itaque animal mole-

stiam

(a) 2. de morb. tex. 57.
(b) Adversf. 5. animad. 33.

ſtiam hanc perpetiens, neque pulmonum impeditam actionem ferre valens; neque ferre poterit vim Thoracem coarctantem; quæ cum in caſu a decubitu ſuper affectum latus proveniat, talem poſitum mutare cogetur animal, neque ſupra latus, cui Pulmo coaleſcit decumbere quibit. Num ex eodem Pulmonum cum Pleura coalitu, pulſus quoque inæqualitas, in ſiniſtri bracchii carpo, & deficientia, quam in juvene notavi? Id determinare non auſim.

F I N I S.

IN-

INCERTI LOCI

Abſceſſus feliciter ad ſanitatem perductus Obiter de hyemali Epidemia anni-1730- Acceſſere item aliqua de Conſtitutione anni-1735-

OBSERVATIO VII.

H.

VIgebat hyemalis tuſſiculoſa conſtitutio anni-1730-cum mulieri ſeptuagenariæ alacrioris, erectique ſpiritus, ac ſatis robuſtæ, quamvis a longo tempore uteri prolapſu exerceretur, rumpebatur abſceſſus internus. Ab aliquot annis laboraverat dolore obtuſo ſiniſtri hypochondrii, qui ab ejus Medico, ex iis, qui Galeni ſectatores ſe ſe prædicabant, pro flatu hypochondriaco habebatur. Illud mulieri moleſtius erat, quod ſedens comedere non poſſet; etenim ſtatim ac primos, ſive liquidos, ſive ſolidos deglutiviſſet bolos, ob dolorem. inflationemque hypochondrii ſiniſtri, e ſedili ſurgere cogebatur: ſtans vero, aut ambulans comedere poterat, tunc enim dolor, & inflatio cedebant. Quadam nocte ad illam accerſor, quam nauſea, ac lipothymia cum tremoribus, extremorumque

que refrigeratione male torquebat ; quæ omnia tamen sub usu mixturæ hysterico-anodynæ disparebant : jusculis inde , quibus amaricantes herbæ incoquebantur, utebatur. Ab horum usu nondum cessaverat , cum denuo noctu ad illam vocor , quæ ad alvi exonerationem animo defecerat , tremore asphyxiaque supervenientibus ; sed hac quoque vice ab mixtura hysterica refocillabatur , sensusque recuperabat . Mane sequenti illam inviso , quæ acerbissimis , ac scindentibus (ita ægra ajebat) doloribus sinistri præcordii excruciabatur . Per noctem sæpius dejecerat , ac copiose saniosam materiem expuerat . Ut ea , quæ ex alvo prodierant , inspicerem , affertur trulla ; & ecce illi , quam expuerat similis sanies , unde internum abscessum disruptum pronuntio . Præscribo spiritum vini croco , & camphora imprægnatum , cum amygdalarum dulcium oleo sinistraque hypochondriorum regio unguento althææ , oleoque cucurbitino , & violaceo , croco , & camphora immixtis , illinitur , quibus dolores compositi . Postea ad detergendum ulcus & consolidandum , mane , & vesperi in jusculis & hedera terrestre , veronica , hyperici floribus , ac sanicula , sumebat guttas XXV. talis mixturæ.

℞ Tin-

℞ *Tinctur. Sulphur. VVillis*
Elix. pptis Paracelf.
Liquor. C.C. Succin. } an. ℥ j. ſ.
M. ad uſum.

Ab hac mixtura, tam quæ ab alvo, quam quæ ex ore prodibat; alba, craſſior, æqualior, atque inodora fiebat ſanies; febricula cedebat; dolores omnino tollebantur; ac quotidie per ſex dies, modo bini, modo terni, quaterni aliquando lumbrici extrudebantur. Intra menſem dicti remedii uſu continuato, convaluit, jamque optime ſana, ſi ab uteri prolapſu præſcindas, menſæ cum familiaribus accumbere poteſt.

II. Hic mihi admodum hæret aqua, dubiuſque animi pendeo, in loco abſceſſus determinando; neque enim corporis partem invenire ſcio unde catharſis, & anacatharſis ſimul ſaniem educerent. An ſanioſa materies ab ulcere exeuns a vaſis abſorpta, trachææ glandulis infundebatur? An ventriculus tuſſi quoque expurgatur, ipſeque erat locus affectus? An lien, vel Pancreas male pexi erant? Sed per quos ductus tum tuſſi tum alvo dabatur materies? An locus Hippocratis aphoriſmo; *Quibus inter ventriculum, & ſeptum transverſum pituita repoſita eſt, & dolorem affert, non habens viam ad alterum ventrem, iis per venas* (non jam in veſcicam ut aphoriſmus) *ſed in alvum, & pulmones verſa,*

ſol-

solvitur morbus. Sed quæ hæc cavitas ex anatome? Nisi Delius aliquis natator, si non veritatem, probabiles saltem conjecturas mihi hauriat, incertum apud me hujusce affectus locum minime diffiteor.

III. Sed non solum ob loci incertitudinem, & forte ob felicitatem, qua sine magno remediorum apparatu abscessus iste ad sanitatem perductus est, inter rariores reponendus mihi videtur; verum etiam ob oppido singularem circumstantiam, quæ huic abscessui se comitem dedit. Pus dum movetur febres, & dolores excire docuit Hippocrates (*a*) quod a quotidiana ferme experientia, vel in exiguis abscessibus confirmatur. Adeo tamen verum est, quod neque iis in rebus, quas maxime regulares, constantesque plurimi ducunt, universalia præcepta Medicina recipiat; ut Hippocratis præceptum inter artis certiora reponendum, per peculiares observationes, fallax quandoque labensque, inveniatur. Qui ab aphorismi universalitate aliquid circumcidat, in eodemmet Hippocrate casus prostat, (*b*) de Leambio, cui humerus, & sedes, in sinistra parte ulcerata sunt, citra febrim, postquam a dysenteria, pharmacorum ope curatus fuisset. Nondum in Hippocratis lectione satis eram versatus (neque adhuc

dum

(*a*) 2. aphor. 47.
(*b*) 4. epid. tex. 22.

dum id præſtitiſſe præ me ferro, memor illius Graviſſimi Scriptoris Macrobii (*a*): *in his, quibus aluntur ingenia præſtemus ut quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſunt, ſed in quamdam digeriem tone coquantur. Alioquin in memoriam ine poſſunt, non in ingenium*) cum accidit mihi aphoriſmi Hippocratici auctoritate confiſo, ut in cujuſdam tumoris diagnoſi, male deciperer. Res ita ſe habuit. Vir fortis, atque robuſtus, ab gravioris ponderis elevatione, magnum contrahit dolorem lumbarem. Ab altero ruſtico ad locum dolentem fortiter perfricatur, & pedibus premitur: inde tumor ſuper lumbum dexterum excitatur, qui eo tempore, quo illum inviſi, exacte rotundus, duorum pugnorum magnitudinem æquabat. Circumcirca pulſationem percipiebat ruſticus, quam in tumoris ſubſtantia ſenſerat nunquam. Cùm materies contenta, fluctuans, ac mollis eſſet, ſuaderi non poteram tantam puris vim ſine febre, quæ nunquam adfuit, moveri potuiſſe; quapropter attenta etiam tumoris exacta rotunditate, illum cyſtiformium cenſui, adſcribebam. Edixi ut ſe ſcalpello Chirurgico ſubiiceret; ſectio tamen, qua de cauſa neſcio, celebrata non fuit. Acceſſit Empyricus, qui cauſtico tumore aperuit, putumque, ac purum pus exivit, neque

(*a*) Ad Euſtach. filium in Progm. l.ſ. latum.

que ulla cystidis vestigia apparuere. Ni præconceptæ opinioni favissem, de febri individua puris pedissequa; antecedens causa externa, de abscessu me satis commonefecisset. Dum hæc scribo misella Virguncula annorum quatuordecim, cui nondum menstrua appa. ruere, specie satis liberali, & formosa, abscessu graviore ad lumbos, cum lenta febricula laborat, qui antequam a Chirurgo aperiretur, nunquam febrim induxit. (a)

IV. Cum de hyemali constitutione anni Præterlapsi mentio obiter inciderit, quæ late adeo per Europam vagata est; prout in Comitatu hoc Pulcinici, locisque conterminis, observavi, adversariisque consignavi, eam huc transcribere nunc mihi est animus. Annum MDCCXXIX inclinantem, quo plurimum austri dominati sunt excepit ultimis Decembris diebus, frigida, & sicca tempestas; quæ licet aliquando spem mutationis faceret, talis nihilominus perduravit, usque ad IV. Idus Februarii, quo die copiose pluit: nix postea nostros Forojulienses montes, a cacumine ad radices totos cooperuit. Primis diebus, quibus ex Austrina in Borealem mutabatur constitutio, Mercurius magno saltu in meo Barometro adeo elevatus est: ut non recorder, an unquam altiorem viderim. Cæperat tellus

(a) *Hydropica* post aliquot menses obiit, ulcere nunquam perfecte ad cicatricem perducto

gelu perstringi, cum tusses ut hyeme solet, suboriebantur, quæ paulatim non jam singulos, sed plerosque, ita tentarunt, ut morbi popularis nomen ubique adeptæ jam essent. Febris, quæ tunc hisce tussibus se comitem dedit, cum horripilatione serotinis horis accedebat. Mane proximos apyrexiæ relinquebat ægros, quos non ultra quartam vicem adoriebatur. Neque prima, neque secunda die ulla sitis, vel oris malus sapor, aderant, quæ deinde morbo ad finem properante ægros tentabant. Frictionibus: haustu olei amygdalarum dulcium: ac lecti tepore, febris profligabatur. Postea licet pulsus micatio, nullum in motu sanguinis adesse vitium significaret: nihilominus pondus & confusio capitis per tres, vel quatuor dies perdurans, tristitia quadam, atque artuum torpore ægros affligebat. Ista fuere Epidemicæ constitutionis initia.

V. Januario inclinante, gravius symptoma, febris ista sibi comitem adsciscebat, lateris nempe pungitivum dolorem, cum genis plerumque roseis, sputo crassiore, nec rarius sanguine tincto, ac aliqual. difficultate respirationis. Dolore tamen isti febri mitescente, remittebant, nec quamquam loca mammillis subjecta non raro torquerent, ad summum humerum, aut jugulum ascendebant. Aliquibus etiam fauces doluere, quibusdam aures.

Pul-

Pulſus dolore urgente, duriuſculi apparebant: cætera inæquales, debiles, celereſque: Neque tuſſes vehementes erant, quamvis fere continuæ; neque e pectoris ſpecu ducebantur; ſed ſtimulus qui ad tuſſiendum ægros adigebat iſthmo faucium hærere videbatur. Nihilominus quandoque tuſſi tuſſim accerſente, eas æmulabatur, quæ pueros convulſorio modo corripere ſolent. Si ad morbi acutiem menſurandam uti ea debeamus menſura, qua uſum Hippocratem aſſerit Martianus (a) quod tamen ex multis Hippocratis locis mihi non probatur; nempe tunc ſolummodo Hippocrati morbum acutum eſſe, cum calor eſt *vehemens*, *acutus*, *mordax*, *ac per totum corpus diffuſus*; inter eas febres, quæ minus acutæ ſunt, quæ cum dolore Pleuritico hac conſtitutione vigebat, reponendam eſſe facile cenſeo. Haud pauci etiam ex decumbentibus, mentis levioribus emotionibus laborabant. Sed jam ventum eſt ad id, quod rei caput eſt. Quos e plebe, ac potiſſimum ruſticana, curandos habui; omnes cum euphoria, vel vomitu, vel ex alvo, lumbricos excluſerunt. Qui decumbebant e felicioribus, & ſi dolore Pleuritico laborarent (e quorum tamen numero, quantum ſcio, multi febri, ac tuſſicula, pauci lateris dolore leborarunt) nulli lumbricos dejecere. Neque hiſce ſolummodo

(a) Sup. 3. Epid. ſect. 2. ægr. 3.

tentabantur juvenculi, verum in flore ætatis constituti pariter, ac senio confecti: viri, ac mulieres: nec minus utero gerentes, quam vacuæ.

VI. Dubium minime est, quin cum talibus ægris, iteratis sanguinis detractionibus actum sit, qui Chirurgis referentibus, inflammatoriam, quam coagulum vocare solemus, exibebat. Dico referentibus Chirurgis; etenim ex meo præscripto tribus solummodo sanguis missus est: Virgunculæ, cui sanguis emissus morbum, ni fallor, produxit: Viro in Ecclesiastica dignitate constituto, satis robusto, & hypochondriaco, cui, catarrhli febre laboranti, cucurbitularum scarificatio haud male cessit: ac rustico robusto, & vinoso, qui contra Pleuriticum dolorem, quo laborabat, sanguine bis emisso, ad plures migravit. Cæteros quos curandos suscepi, qui sani laud pauci fuerunt, nullo detracto sanguine ad sanitatem perduxi. Quin cum illis ægris plus negocii mihi datum fuit, qui post sanguinis missionem, a Chirurgis, Medico inconsulto, celebratam (qui mos nimium cum Rusticana plebe apud nostros hæmatochytas obtinet) morbo non cedente, me in auxilium vocarunt. Fomentationibus itaque, atque inunctionibus Paregoricis dolores demulcebam; in quorum tamen remediorum administratione, dolum non raro subesse obser-

vavi.

vavi. Nanque cum dolore isti febri mitescense remitterent, quod horis antemeridianis solemne erat; si tunc externa dicta remedia in usum venirent (tunc vero veniebant ut plurimum) vi remedii tribuebatur, quod morbi remissioni peculiare erat. Ut e contra doloris exacerbationem dictis tribuebant remediis ii ex ægrotantibus quibus dum febris ingravesceret, administrabantur. Sic mulier octavo mense uterum gerens, in linimentum, dum febris ingravesceret, appositum, ex cucurbitarum rasura in oleo comuni frixa, quę alias bene cessione mihi visa erat, doloris exacerbationem refundebat. Oleum postea amygdalarum dulcium aliqua portione S. V. crocati, & camphorati admixta exhibebam, a quo lumbrici, ut plurimum vivi, sed maxime irritati, & rubentes extrudebantur. Tali occasione observavi, oleum amygdalinum, haud esse potentem illum verminecam, quemadmodum plerique putantes illud vermium tracchæus obstruere credunt. Lumbricos terrestres, diu in oleo superstites manere, observavit jamdudum Willisius (*a*). Si qui minus acute laborare mihi videbantur: iis Mercurii dulcificati, diagridii doses pillulis de hyera commixtas propinabam; pro potu vero, quibuscumque illud expeterent, Vinum concedebam; ac quocumque morbi tempore, vel
 in

(*a*) De anim. brut. c. 3.

in juſculis, vel in aquis ſtillatitiis ſtomacho, & Pleuræ dicatis, mixturæ guttas ex Tinctura ſulphuris Williſii, & liquore C.C. ſuccinato; vel ex dicto liquore cum Elixire propri. Paracelſi; vel ex tribus hiſce liquoribus concinnatæ, cui noctu quandoque Sydenhamii laudanum addebatur, propinabam. Vah! adeo excalefaciente remedio, ægris febre, delirio, Pleuritide laborantibus medebaris? Iſto ædepol, & quidem cum bonis ægri rebus; ex Magno ſiquidem Hippocrate (b) *ad cauſam devenire oportet, & ad cauſæ principium*.

VII. Antequam ad ulteriora progrediar, aliqua de S. V. crocato, & Camphorato dicenda. Hoc remedio quibuſcumque Pleuritidibus incipientibus, ferè ſemper ab aliquot annis, & ſummo quidem cum profectu utor. Quod ſi craſſiori ſputo educendo incumbere debeo, neque ſigna adſint læſi capitis; tunc eum quocumque morbi tempore exhibeo, & fere nunquam ſucceſſu fallente; neque enim adhuc mihi per remedium expectorans innoteſcit. Illum vero quandoque uſque ad tres uncias propino, quod forte mirum videri poterit. Ad hanc vero doſim, ut tuto aſcendere poſſim, caſus plurimorum Magiſter, me edocuit. Mapalium constructor, in flore juventæ conſtitutus, robuſtus, bilioſique tempera-

(a) 2. Epid. ſect. 4.

peramenti, ante aliquot annos ſanguinea Pleuritide, veris tempore laborabat. Præſcripſi illi in nodulo uncias tres hujusce liquoris, ut ex eo ſingulis diebus, mane in juſculo ex emmollientibus, guttas triginta ſumeret. Rudis homo, Medici præſcriptum non probe tenens, unica vice totum liquorem exhauſit; indeque effuſo, per copioſos ſudores, morbo, citiſſime convaluit. Experientia edoctus, ego in ea ſum ſententia, ideo non pauca remedia optato carere ſucceſſu, atque inofficioſa apparere; quia ea in juſta doſi ægris non propinantur, qua de re forte alias. Cum quidam Medicus, hac conſtitutione vigente, unam ex meis formulis vidiſſet, qua unciæ quatuor olei amygdalarum, & tres S. V. crocati, & camphorati præſcribebantur; miratus rem, quam miſellus minime callebat, effutiit, meam Praxim, forte conducibilem eſſe poſſe Dalmatarum temperamentis (tunc enim e Dalmatia redieram) Forojulienſibus vero non ſine periculo adminiſtrandam. At me miſeret hujuſmodi cenſorum, qui chorda eadem ſemper oberrando, neque tantillum ab iis, quæ a ſomnioſis Magiſtris didicerunt, abſcedere ſciunt, vel audent. Ab hujuſmodi vervecinis ingeniis, non eſt quod multa ſperemus. Nunc e diverticulo in viam.

VIII. Menſe Majo dolores laterum paulatim decidebant, pueri verò tuſſibus convul-

sivis, quas *Pagane* appellat vulgus, populariter corripiebantur. Aderant ventris dolores: vomitus a vi tussis accitus: febres continuæ: nauseæ: sitis: catarrhosæ materiei pectus obsidentis, strepitus; atque in dejectionibus vermes rotundi sæpissime visebantur. Cum ego putarem hujusce morbi causam, ab ea, quæ dolores Pleuriticos pepererat, minime differre; catharsi solummodo dicto morbo medebar. Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro, si quando pueri illum non respuerent: hujusce vice Syrupus de floribus Persicorum: at sæpissime Mercurius dulcis, cum Diagrydio, & saccharo in pulverem redactus, in usum veniebat.

IX. Saccharum ne, sal in recessu acidi multum habens, Mercurio commisces? Ita utique facio: cumque recte ita fieri posse experientia, a qua vel cæci capiuntur, me edoceat; Sogos Germanasque Gerras parvi pendo. At ita saltem puerorum dentibus ineluibilem noxam infliges. Saliva Mercurio imbuta, dentibus utique bellum indicit: Mercurius os pertransiens, si vel dentes tetigerit, eos intactos relinquit. Sed levibus hisce relictis, illud majoris momenti est, quod Mercurius dulcis, probe præparatus, vel ab infantili ætate ferri commode, atque absque ullo detrimento, possit. Ista præscripseram, cum Nobilissimi Practici, Scriptorisque Clarissimi Hoffmani, Medicina rationalis systematica ad

me

me defertur. Ait iste (a) Mercurii dulcis usum in infantibus maxime esse suspectum, tum ob nerveam texturam laxiorem; cum ob cruditates acido biliosas, & viscidas, quibus prima regio in hisce subjectis referta esse solet. Quin nunquam exhibendum esse asserit, quando ventriculus, atque intestina, ex lacte corrupto, humoribus corrosivis, ac viridi colore tinctis, infarcta sunt. Viro adeo celebri, quique novissime ob Serenissimum Prussiæ Regem ab Hydrope restitutum, de Germanico orbe adeo bene meritus est, rationes quæ contrarium suadere possent, non oggeram: tanti ejus facio auctoritatem. Quæ in Praxi exercenda observavi, solummodo narrabo. Puellulæ mensis unius, quæ a pluribus fæminis lac hauserat; aeri quoque nebuloso, atque Austrino, dum ad Baptismum deportaretur, expositæ; lac vomiturienti, in ore reliquiis veluti caseolis remanentibus, cum aphtharum suspicione, excrementisque sincere viridibus; bis in cochleare lactis, & quidem cum optimo successu, fæcumque mutatione: pulverem exibui ex gr. ij Mercurii dulcificati, Diagrydii iij, & sacchari v. Puerulus unius anni, Parentum delicia, jacebat soporosus; cumque expergisceretur oculis in unum locum defixis, erat veluti Catochus. Huic Parentes, ut erat lepidiusculus, sæpe joco

(a) T. 2. c. 6. §. 13.

joco vinum præbere solebant. Febris illum exercens lenta erat; lac respuebat; neque, ut infantes assolent conquerebatur: in fæcibus sincere flavis, apparebant veluti casei ramenta. Conjectavi omnia provenire a lactis coagulatione. Per tres vices exhibeo pulverem ex Mercurii dulcis granis iiij, Diagrydii iij, & sacchari viij: inungo stomachi regionem linimento ex Electuario de baccis Lauri, oleo Absynthite, & Camymellino; statimque, quod vix sperabant Parentes, convaluit. Per septem ferme annos, quibus Pulcinici Medicinam facio, frequentissime puerulis cujuscumque ætatis Mercurio cum Diagrydio, & saccharo medeor; neque adhuc semel, quod sancte attestor, ullum malum effectum a Mercurio adnotavi. Verum quidem est a tali remedio, non raro vomitum excitum, ut etiam a levioribus laxantibus in adultis evenire quandoque solet; qui tamen tantum abest, ut noxam puerulis intulerit, quin potius per hunc felicius sanitati restituti sint. Unius ex horum Illustrissimorum Comitum Familia numerosa prole fæcunda, horum, quæ scribo, luculentissimum testimonium præbere potest. Paucos ante dies, quibus hæc narro, filiolus meus, natu major, Antonius Cajetanus, nondum trimulus, febri, & vermibus laborabat. Huic bis Mercurii dulcificati grana V. Diagrydii iij cum sac-

charo

charo propino. Prima vice vomitus excitus: alvus vero semel solummodo soluta: altera vice sine vomitu alvus quater ducta cum tribus vermibus. Puerulus postidea felicissime, ac citissime senitati restitutus. Ex hisce, cuique patere potest, quam innoxie, quamque utiliter exhibeatur puerulis cujuscumque ætatis Mercurius.

X. Hoc igitur sæpe utebar in dicta puerorum tussiculosa constitutione, atque a catharsi febris remittebat; vermesque, ut plurimum, modo sub cathartici operatione, modo postea, prodibant. Quandoque prima alvi subductio nullos secum vehebat vermes, qui repetita catharsi exibant. Cujusce rei causam fuisse puto copiosam cacochyliam, qua stomaci, intestinorumque plicæ obliniebantur; neque enim, nisi hac ablegata, ad vermes in plicis latentes accedere poterat cathartici vis. Cæterum notandum, ab exhibitione Mercurii, licet symptomata verminosa e conspectu se proripiant, non semper vermes excludi; sed quandam putrilaginem, in quam forte, si vulgo, & Jonstono (a) credimus, demortui, atque a pondere Mercurii, ut ita dicam, contriti vermes convertuntur. Diebus a purgatione vacuis, semen santonicum, cum melle præbebam, atque ab hisce remediis tussis minuebatur quidem, sed non ex-

pu-

(a) Syntag. c. 23.

pugnabatur; non jam ex eo, ni fallor, quod dicta methodus, dictaque remedia morbo expugnando paria minime forent; sed quia cum pueri meliuscule se habent, difficilimum sit eos dictis parentes habere; ac sæpissime, vel ingratis illis mos gerendus sit. Scio ab optimo Sydenhamio (*b*) venæ sectionem pervicaci morbo vim omnem adimere; cum mihi tamen animum induxissem, morbi fomitem primis viis hærere; hujus deturbationi incumbendum putavi, cruorique teneriori parcendum. Usque ad hyemen anni præsentis (1731) dictæ tusses perdurarunt, ab rarioribus morbillis exceptæ, qui jam se in fugam projecisse videntur: Jamque *Martis Romani Festa venere Kalendæ* hyememque, ut siccam, sic oppido salubrem experti sumus.

XI. Haud solummodo hac constitutione vigente Pleuritides verminosas mihi videre contigit. Fallax hoc morbi genus alias ex observatione mihi innotuerat, antequam liberculum, quem de tali morbo Ch. Castelli, apud Forojulienses Medicus, concinnavit, legissem. Cum ille itaque eo in opusculo satis talium Pleuritidum tractationem absolverit, actum agere mihi nunc non est animus; sed postquam animadvertero Hippocrati quoque, si non a vermibus, ex imo ventre Pleuritides innotuisse, contra quas sanguinis mis-

sionem

(*a*) Proces. integ. de tuss. puer. convuls.

ſionem prohibuit; aliquot hiſtoriolas breviter ſubdam: ex quibus quidam, apud quos ſcio ſomnium eſſe Pleuritides a vermibus, tametſi Clariſſimus Practicus Jonſtonus (*a*) tradiderit, hos quandoque mera ſymptomata Pleuritica excitare; tandem aliquando ſapere diſcant.

XII. Hæc igitur in Coacis Magnus Magiſter poſteris reliquit (*b*): *Dolores circa latus, in febribus conſiſtentes, citra notas, venæ ſectio læſerit, ſive cibum averſetur æger, ſive hypochondrium ſublime habuerit*. Fungus profecto neceſſe eſt, ut ſit, quicumque in hunc Hippocratis locum incidens, non noſcat lateris dolorem ab imo ventre. Cum abſentia ſignorum (*citra notas*) quæ pectus idiopathice pati oſtendunt; & præſentio eorum, quæ ſtomachum, atque inteſtina affecta demonſtrant, (*ſive cibum averſetur æger, ſive hypochondrium ſublime habuerit*) clariſſime laterum dolores per conſenſum ab abdomine fieri demonſtrent. Ob id non tam ad ſpecies dolorum, magnitudinem, aut durationem diſtinguendas, quam ad locum affectum determinandum, ab eo prolatum puto in aphoriſmis (*c*): *dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, an multum varient perdiſcendum*.

Qui-

(*a*) Syntag. c. 23.
(*b*) Sect. 3. ver. 79.
(*c*) 6. aphor. 5.

Quibus doctissime subdit Tozzi in dicti aphorismi Commentario: *Hippocrates Medicos consulere videtur, ut partem affectam in doloribus internōscere curent: nisi enim partes affectæ suis inditiis distinguantur, curatio haudquaquam prospere institui poterit.* Quia, ut in re tanti momenti, Hippocratica solummodo optima nempe expromam: *sæpe ex crapula, & cibis flatuosis, dolores procedere solent, & ad lumbos, & ad latera* (*a*).

XIII. Sed quæ sunt notæ doloris Pleuritici idiopathici ex Hippocrate? Ab hoc textu quisque discere poterit. *Si vero sub septo transverso fuerit dolor* (an septi positum optime norunt, isti Helminthicarum Pleuritidum irrisores?) *ad claviculam autem de se significationem non præbet* (putasse videtur imi ventris dolores ad jugulum non ascendere, quod tamen falsum esse ex Observatione, inferius patebit) *alvum mollire, oportet, aut veratro nigro, aut peplio* (*b*). Aretæus quoque (*c*) inter magis peculiaria Pleuritidis symptomata, dolorem ad jugulum ascendentem enumerat. Cum illud igitur abest signum, quod pectus idiopathice pati Coo significabat; non sanguinis missionē, sed Medicamento purgante dato Pleuriridi medebatur; quia ma-

teria

(*a*) acut. tex. 57.
(*b*) Ibid. tex. 12. 52.
(*c*) De sign. acut. l. 1. c. 10.

teria dolorem efficiens ita auferri e corpore poterat, quod utique fieri non potuisset, si morbi causa intra sanguinem stabulasset: *Quicumque vero ea, quæ inflammata sunt, statim in principio morborum Medicamento solvere aggrediuntur; hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda est: quæ verò morbo resistunt, ac sana sunt, colliquefaciunt* (*a*). Quod si dolor sub septo esset, causa vero doloris in sanguine stabularet, non alvi ductione, sed sanguinis missione eam tollebat Hippocrates: *Præcordia inflammata, non ex flatuum interceptione* (eu quod summo judicio eam causam excludit, quæ primas vias obsidet) *septi transversi intensiones ...... solvi non possunt, si quis Medicamento purgare aggrediatur, nam venæ sectio in talibus principalis est* (*b*). Ad utramque vero doloris causam, & quæ in sanguine, & quæ extra sanguinem hæret, respiciens, alibi scripsit, dolores sub septo, & quæ extra sanguinem hæret, respiciens, alibi scripsit, dolores sub septo, & a purgatione, & a venæ sectione solvi: *& si circa spuriam costam graves dolores fiunt, his solutis fit venæ sectio, & purgatio deorsum* (*c*) Venæ sectio, si a sanguine; purgatio vero, si

(*a*) De rict. acut. tex. 36.
(*b*) Ibidem.
(*c*) De judicat. tex. 11.

sì a materia imi ventris, pectoris partes doleant, natura monstrante viam Medico : *quibus in febre dolore lateris oboriente alvus multa aquosa, & biliosa egerit, hi allevantur* (*a*). Forte alvi subductio, quæ sputum supprimit, coctionem tollit, idiopathicamque Pleuritidem adeo exacerbat, ut ab hac exerciti lethaliter (*b*) decumbant, dolori lateris a causa, quæ intra Sanguinem agit, auxilio esse poterit? Si quidam Hippocratem legerent, haud ita de humano sanguine, quem prodige, amenterque profundunt, male mererentur; morbisque, minime ex titulo, aut fallaci hypothesi, sed ex Observatione, atque ab ea, quæ ab Observatis pendet, ratione, mederentur. At ipsi viderint.

XIV. Buglivus, tametsi ex Hippocrate, & Ballonio, Pleuritidi ab imo ventre mentionem fecerit (*c*); nihilominus in eo quod putat gastricam cachochyliam ad pectus decumbere, mihi minus placet. Quid enim? Cùm pectoris vasa materia ab intestinis obsederit, neque coctionem admiserit, purgante dato tolli potest? Materia antecedens, quæ morbo ferre suppetias potest, utique auferenda; sed cum hæc sanguini immixta, in cruoremque conversa, in Pleuræ, aut Pectoris vasis

sta.

(*a*) Coac. sect. 2. ver. 73.
(*b*) 6. aphor. 16.
(*c*) Prax. l. 1. in Append. ad Pleurit.

ſtagnat; eo remedio, quod ſtagnantia in motum ciet ſanguinis, nempe, miſſione exagitanda eſt. Cum ſciamus ſtimulum alicubi hærentem, partes longinquas in criſpationem adigere, eaſque dolore mulctare; operæ prætium minime duco hypotheticum materiæ decubitum ad partem dolentem in medium adducere. Quod lumbrici in inteſtinis, ſtomachoque ſtabulantes efficiunt, ut ex hiſtoriis ſubnectendis patebit; cruditas quoque vitioſa ventriculum, atque inteſtina obſidens, efficere poterit, Hippocratiſque teſtimonium comprobare: *ſæpe ex crapula, & cibis flatuoſis, dolores procedere ſolent, ex ad lumbos, & ad latera* (*a*) At nunc præſtat hiſtoriolas aliquot ſubnectere.

XV. Nobilis Virguncula, tenujoris corporis habitus, acrioriſque temperaturæ, dolore punctorio ad mammam dextram torquebatur cum aſſidua tuſſicula, ſed nullo, vel pauco ſputo. Pulſus debiles, depreſſioreſque erant, morbumque difficulter ferebat. Poſt ſcarificatas cucurbitulas, lituſque, ac potiones anti-Pleuriticas, dolore cedente, vexabatur adhuc pertinaci, ac continua tuſſicula, quæ ſomnum illi adimebat. Hauſta prima doſi mixturæ ex tintura ſulphuris, liquore C. C. ſuccinato, & Elixire proprietatis Paracelſi,

(*a*) De rict. acut. tex. 157.

tuſſis ceſſavit, ac poſtridie bene ſe habuit, nullis ejectis vermibus.

XVI. Mulier quadraginta annorum gracilior, videbatur laborare Pleuritide maligna, Domeſtici urgebant, ut ſanguinem mitterem; illa verò ſe vermibus laborare dicebat, meque, ut aliquid ſibi contra vermes præſcriberem, etiam, atque etiam rogabat. Dicta mixtura hauſta, ſero vermes aliquot vivos deiciebat. Hora ſomni eam cum laudano repeto, noctuque ſatis mediocriter dormiit, & mane plures vermes invicem agglomeratos extruſit, dolorque lateris ſiluit. Pulſus adhuc ferme formicantes, illaque leviter delira. Ter adhuc dictam mixturam exhibeo, lumbricique, nedum ad alvi exonerationem, ſed ex ſe ab ano prodibant. Die ſeptimo mitius degere mihi viſa eſt: propino itaque Mercurium cum pillulis de hyera, & ſyrupo abſynthii. Quid referam? Putredinis vere filia, vermiumque ſoror, lumbricorum maximam copiam extruſit. Febris abſque malis ſignis uſque ad diem vigeſimum perduravit, biſque adhuc Mercurius exhibitus, fereque quotidie, modo plures, modo pauciores vermes dejecit. Plus quam ducentos lumbricos, quod maximè mirum mihi viſum eſt; neque credidiſſem, niſi oculatus teſtis adfuiſſem, miſella hæc mulier in ventre alverat.

XVII. Sacerdos Septuagenarius, ruricola, tuſſi,

tuſſi, febri, ac dolore obtuſo ad coſtas ſiniſtri lateris laborabat. Exhibito purgante ex Mercurio, Diagrydio, & pillulis de hyera, ſuſdeque vermes ejecit, & convaluit.

XVIII. Senex alter gravedinoſus, febricula, & Rheumate ad Pulmones decumbente, laborabat. Bis aſſumpto cathartico convaluit. Singulis vicibus vermes extruſit.

XIX. Vir quadragenarius, pituitoſus, à multo tempore ſemicachecticus evaſerat. Illum pro hypochondriaco habebam; dicebat etenim ſe febri continuo laborare. Tuſſis cum febricula illum corripit, ac quodam noctu binos lumbricos, qui ad fauces aſcenderant, propriis digitis e faucibus extraxit. Aqua inde ex decocta Felicis radice uſus, melius habuit. Poſt aliquot dies, febri denuo cum malis ſymptomatibus torquetur. Purgante exhibito, a quo tamen vermes non prodierunt, ſupervenit dolor punctorius, ſed adeo vehemens, ut erecte ſedens ſpirare cogeretur: Chirurgus venæ ſectionem feſtinabat; cum ego accitus, per paucas horas cunctandum præcipio. Interim dictæ mixturæ guttas cum additione Laudani exhibentur in brodio. Poſt horam, dolor miteſcit, alvus erumpit, lumbricique excluſi; inter quos (ita æger convaleſcens poſtea Jurejurando mihi teſtatus eſt) unus fuit ſemipiloſus. Catharſis bis adhuc celebrabatur; & convaluit.

 XX. Mu-

XX. Mulier viginti annorum, octavo mense uterum gerens, corripitur crudeli dolore punctorio lateris sinistri, illi quemcumque motum impediente; tussi; difficili respiratione; frequentibus sternutamentis; & narium pruritu. Febris tamen erat mitioris æstus. In aqua succi Melissæ, & papaveris Rhæados, exhibeo viginti guttas liquoris C. C. succinati, cum laudani guttis sexdecim, meliusque se habuit. Postridie mane binos vermes evomuit. Continuato usu mixturæ cum additione Laudani, absque catharsi intrà quatuor dies perfectè convaluit.

XXI Alteri septimo mense uterum gerenti, sanguinei temperamenti, ex dolore ad costas spurias decumbenti, cum tussi, febri, genisque roseis, eadem præscribo, & melius se habuit. Nihilominus Chirurgus e manu lateris affecti, ob improbam, atque execrabilem parvuli sostri famem, sanguinem eduxit, cum tamen ex meo præscripto tunc solummodo detrahendus esset, cum cætera non juvissent. A sanguinis missione peperit, febrisque disparuit, tussicula pertinaci, & sicca remanente. Contra hanc, post oleum amygdalinum, præscribo, nedum anti-tussiculosum, sed etiam anti helminticum tale remedium.

℞ *Rasur. dent. apri*
Mandib. Lucii piscis } an. ℈ ij
Flor. sulphur. gr. xvj

Ra-

Radic. Bardani pulv. ℥j. ſ.
Styb. diaphoret. gr. xxxv.
F. pulvis pro trib. doſib. ex jure ſummendis

Bis vermes dejecit, tuſſis ceſſavit, ac lochia, quæ nimis fluebant, ob vim tuſſis, ni fallor, intra tre dies, nullo alio adhibito remedio ſubſtiterunt.

. . . . Conſtitutio vernalis anni . 1735.

(*)

Ab anno - 1717 - , uſque ad Decembrim - 1734 -, ſi quæ viguit Conſtitutio in univerſum ſpectetur, tota ſicca fuit, atque, ut plurimum Aquilonia; at qui præceſſit annus - 1734 - ſiccitate reliquos omnes ita ſuperavit; ut (quaſi cælum finem ponere voluiſſet aridæ conſtitutioni anno longe ſicciore) per quinque integros menſes a Novembri incipiendo, aqua, pluviiſque nos carentes reliquerit. Tota hac conſtitutione vigente circumflua flumina aquarum parcitate laborarunt; noviſſime vero plurimi ex iis rivulis, qui circa Sacilum, & Pulcinicum regionem totam irriguam reddunt, omnino examere. Nihilominus tanta ſiccitate præcellens annus, adeo fructum horæorum copia abundavit, ut quantum ipſe recordor, nunquam vilius venerint, neque copioſiores viderim. Frugum proventus, mediocris, cui rei plurimum contuliſſe credo pluvias, quæ, licet in parva quantitate, non intempeſtive veris, & æſtatis tempore, ceciderunt.

runt. At sub anni finem nova rerum facies, emmersit; namque a Bruma, ita Austri, & pluviæ dominari obstinate cœperunt; ut, quamvis sæpius nivibus copiosissimis montium cacumina cooperta apparuerint; per sex continuos menses, fere nulla mora interposita, a pluviis maduerimus. Fluviis omnibus suus honos, jam nimium redditus, Fontesque, ac rivuli, qui exaruerant, denuo, & quidem aquis uberes, se se in conspectum dederunt. Mense ineunte, quo hæc scribo, juvenum de nomine quarto ab Martio, a paucis diebus pluviarum vis desiit, Austri tamen, usque dominantur; procellæque, ac nimbi, qui grandine, heu ruinis! effusa, cum satis lætis Colonorum, dominorumque spes diluerunt, nos quotidie, nec semel per diem, reddere formidolosos, non cessant.

II. Sub talis Constitutionis dominio, cum declinante Februario dies aliquot sereni illuxissent, in Villula divi Joannis a Templo prope Sacilum, loco depressiore, lutoso, & uvido (scribo, quæ scio, quæque mihi innotuerunt) catervatim decumbere cœperunt; neque omnino pauci emori. Ad hæc, quæ etiam per breve iter vires acquirit fama, rem Sacili adeo amplificaverat; ut ad me illic ultimis Baccanaliorum diebus degentem, magistratus salutis miserit rogatum, dictum rus peterem, ac de morbi natura renunciarem, non poterat enim

enim illuc accedere Clarif. amicissimusque Pelizza Sacili medicus. Verum, cum Chirurgi, qui plures ex iis ægrotantibus inviserat exactior relatio, de contagioso morbo metum adimeret; dixi, quoniam morbus contagio non cresceret, ex re minime esse Medicum Magistratus præscripto mittendo, rumores de malo ægritudinis genio quotidie apud rudes increbrescentes, augere. Quæ fuerit dictorum morborum natura: quamdiu durarint: quandoque desierint, mihi notum non est.

III. Mensis Martius provectus jam erat, cum elatiora Comitatus Pulcini loca mali morbi invasere. Primi, qui labem senserunt, fuere rustici ruris *Budoja* dicti quorum tamen cum nullos ipse inviserim, nihil dicere de mea Observatione possum. Prout vulgus ferebat, gravissimo capitis dolore, & febri laborarunt, quæ tertio, aut quarto die plurimos letho dabat. Montis inde sublimia morbus, conscendit; rurique mezzomonte dicto, graviter incubuit; ruricolasque illos Cafris, aut Hottentotis non multum absimiles, laterum doloribus male mulctavit; nec paucos sustulit: Dubio tamen locus esse potest, an plures lanceola, vel morbus occiserit. Rumor ferebat eos a vermibus laborasse.

IV. Rus deinde *Coltura* dictum, aliudque, cui *Sancti Joannis* nomen ad planiciei initium positum morbus occupavit. Quorum locorum

cum plerosque ægrotantes inviserim, morbi naturam explorare potui, eamque ex peculiaribus historiis, quarum aliquot hic subdam, describere. Febris acutior cum horrore ægros invadebat, cui comitem se dabat dolor punctorius, modo sub mamilla ad jugulum usque ascendens; modo ad costas spurias obtusius affligens. Pulsus, non raro duri: respiratio celer, ac frequens: tussis sicca, noctu potissimum infenstans: sputa, si quæ erant, omnino Pleuritica: aliqui supra affectum latus decumbere nequibant: aliqui supra oppositum: non pauci, neutri incumbere diu poterant, sed supini jacebant. Quosdam, non latens dolor, sed qui hepatitidem mentiretur, afflixit: pauciores faucium inflammatio vexavit; non pauci fuere, quos dolor capitis acerbissimus exercuit. Fere omnes, qui laborarunt, a causa manifesta morbum contraxisse visi sunt. Pleuriticos, hæpaticosque febris periodica afflixit, qua mane mitescente, dolores quoque mitiores fiebant. Qui vero male habebant ob capitis dolorem febri acuta continente conflictabantur, quæ quarto die, delirio, convulsionibusque accitis, ægros, qui non ultra septimum perdurabant, e medio tollebat. Quos curandos suscepi, uno, aut altero dempto, omnes, vel vomitu, vel dejectione, sæpiusque cum euphoria, vermes exclusere; aliquibusque juscula, & sorbitiones, quæ offerebantur,

odo.

odorem illum, quem *freschino* vulgo dicimus, olebant. Morborum hæc cohors, quæ rusticanæ plebi solummodo bellum intulisse visa est, nostrorum montium cursum sequendo, intra Castellum *Aviani*, & rus *Serone* dictum, castra posuit. Populosus Avianensis tractus, ubi anno 1730 Pleuritides verminosæ grassatæ sunt, hoc anno Epidemicam morbi luem non sensit. An ægritudines, quæ plerisque in locis procul a montibus populariter sævierunt ejusdem indolis fuerint, mihi notum minime est.

V. Præsidia, quæ contra dictos morbos adhibui, fuere, oleum amygdalinum cùm spermate cæti: si tussis humidior quandoque foret, cum S. V. crocato, & camphurato: Liquor C. C. Succinatus cum Elixire proprietatis Paracelsi: aliquando Laudanum: aqua ex succo C. B; atque ex Infusione Mercurii: Linimenta ex unguento althææ composito; cum S. V. crocato, & camphurato, oleisque cucurbitino, & violaceo: Mercurius dulcis sed crudus, quo serius usus sum, vel e vestigio pluries morbum abstulit. Sanguini omnino peperci, venæque sectionem solummodo in vidua, cui facies flammea fiebat, institui, ea, domesticisque suis expetentibus, nè si forte obiisset, methodum, quæ nova illis videbatur, culpassent. At ex peculiaribus historiis omnia melius innotescent.

VI. Ju-

VI. Juvenis robuſtus, annorum 24. poſtquam per aliquot dies potationi vitium intentus ventorum, pluviæque injurias pertuliſſet, Pleuritide corripitur. Accerſitus Chirurgus, bis ſanguinem e brachiis detraxit Medico inconſulto, oleumque amygdalinum ingeſſit. Sed cum inde omnia pejora, vocor ſero diei quintæ, cum acutiſſimus dolor urgeret, ſublimiſque, ac gemituoſa reſpiratio adeſſet. Tametſi primus fuerit, quem inviſerim; nihilominus de lumbricis mihi ſuſpicio oborta. Ideo aquam ex infuſione Mercurii, cum liquore C. C. ſuccinato, & Laudano exhibeo, a quibus noctu melius ſe habuit, obdormiit, & ſudavit. Sequenti mane ſumit oleum amygdalinum, cum uncia S. V. crocati, & camphurati, a quo binos lumbricos teretes evomuit, aliquoſque etiam grandiores per alvum extruſit. Jam in vado eum eſſe domeſtici credebant, ob idque nil aliud e præſcriptis ad impenſam vitandam præbuerunt. Sero ſeptimæ diei morbus recruduit, ægerque die octava delirus, ut mihi retulere, ad plures migravit.

VII. Pater, uxor, filius eodem in cubiculo decumbebant. Pater a leviore lateris dolore ad coſtas ſpurias cum febri mitiore periodica, ferme ſine tuſſi, & pauca difficultate reſpirationis. Bis ſumpto cathartico ex radice Jalappæ in pulverem redactæ cum Mercurio dulci, & diagrydio, melius ſe habebat. Cum

deinde

deinde morbus acerbior aliquantulum recru-
deſceret, poſt oleum amygdalinum cum ſper-
mate cæti, & hauſtrum ter ſumptum ex aqua
C. B. & infuſionis Mercurii, additis ſpiritu
ſalis Ammoniaci fugaciſſimo, liquore C. C.
ſuccinato, & Syrupo, e quinque radicibus
(craſſiora etenim tunc expuebat, quæ dum
morbus primo afflixit, non apparuerant) fe-
liciſſime, nullis dejectis vermibus, convaluit.
Filium, dolor capitis, ſed mitior, & febris
minus acuta, vexabat. Propinato Cathartico
ex radice Jalappæ, Mercurio dulci, & dia-
grydio; ſuſdeque vermes ejecit, & convaluit.
Mater annorum propè quinquaginta, angina ca-
tharroſa laborabat, cum febri mitiore. Ton-
ſillæ tumidæ erant, ac phlegmate oblinitæ:
os difficulter aperiebat, dolorque in deglu-
tione urgebat. Gargariſma præſcribo ex de-
cocto ſempervivi minoris, cum ſympo de E-
ryſimo Lobellii, & ſpiritu ſalis ammoniaci.
Mane ſequenti exhibetur potio ſolutiva Ma-
giſtralis, a qua ſuſdeque vermes ejecit, &
convaluit.

VIII. Puerulus, decem annorum gracilior, febri acutiore periodica, noctu recrudeſcente, quæ primo cum rigore invaſit, laborabat. Aderat dolor obtuſus ad mamillam dexteram; pulſus erant duriuſculi: tuſſis frequentior, & ſiccior: ſomnus non aderat: irrequietus degebat: difficulter morbum ferebat. Clyſtere

ex

ex lacte; & Sacchato subterdato, vermem dejecit, postideaque potiuncula propinata ex aqua Infus. Merc. totius Citri, Styb. Diaphor. C. C. philosophico, & paucis guttis liquoris C. C. succinati, noctu sudavit, dormiit, & melius se habuit. Mane sequenti, die morbi quarto, exhibitum oleum amygdalinum cum saccharo, quod statim simul cum verme evomuit. Hoc die, licet de dolore non conquereretur, pejus se habuit, atque ex nare sinistra stillæ aliquot sanguinis exiere. Serò, denuò hausit potiunculam: die quinta, mitius degit. Hac die quoque, sero haustulus propinatus: die sexta, pauca febris, nullusque dolor. Inde alacrior puer fascus, per tres dies ita degebat; cum propinato Merc. dulci ad grana octo, & diagrydio ad grana sex cum saccharo, sexties corruptam, ut mihi relatum est, fætidamque materiam dejecit, cum tribus vermibus, & convaluit. Tussicula illum aliquandiu adhuc infestavit, sed sæpius per diem, oleo amygdalino cum saccharo cochleatim sumpto, tandem aliquando cedebat.

IX. Vir siccioris temperaturæ, quadragenarius, a vitium potatione die pluvio, & ventoso domum redux, magno rigore corripitur. Nihilominus plenius cænavit, noctuque graviore febri cum lateris dolore exercetur. Chirurgus accessitus, fomenta calefactoria admovit; latus inunxit. Sanguinemque eduxit.

Po-

Postridie oleum amygdalinum exhibuit; nec cedente morbo, venam die quarta dénuo percudit. Die sexta, cum omnia ingravescerent, accersor, ægrumque invenio dolore ad hepar laborantem, cum lingua arida, respiratione difficiliore, pulsuque depressiore, atque inæquali. Relatum mihi fuit etiam, aliquoties mente motum. Instituto fatali prognostico, clysma ex lacte saccharato impero; pulveremque præscribo ex Nitro, Styb. Diaphor., & Bezoartico miner. tribus vicibus die una sumendum ex decocto malvæ, violariæ, parietariæ, & cichorei. Contra sitim, serum caprinum stillatitium cum nitro, & aqua totius Citri, præscribo; Cardiacum quoque ex aquis succi C. B. Scorzon. Scabios. cum matre perlarum, lapide Bezoar Occidentali, & paucis guttis tincturæ Alchermes. Die octava obiit.

X. Quod vir iste in Castello Aviani decumberet, quo nondum populares morbi pertigerant, neque postea pertigerunt; non enim ibi, nisi hujusce viri filius, & alter prope habitans, quorum historias paulo post enarrabo, decubuere; quod ab iis vexaretur symptomatibus, dolore, nempe hepatis, & lingua arida, quæ nondum in decumbentibus a lumbricis observaram; scrupulum mihi tunc ademptum de vermibus. At, cum ex altera parte ejus filius, & vicinus a vermibus laborarint; quin

quin Pulcinici, ubi populares isti morbi grassati non sunt, juvenculum hæpatitide verminosa laborantem viderim, des quo inferius; innocenti sudant mihi præcordia culpa, vereorque ne in morbi diagnosi fuerim deceptus.

XI. Dicti viri filius annorum 19, gracilioris temperaturæ, humato Patre, febri cum horrore corripitur, via noctu se comitem dedit dolor sub sinistra mamilla ad jugulum usque pertingens. Tussis pauca, sed, vel primo morbi die Pleuritica educens: in ducendo spiritu, mediocris difficultas. Ab animo male habebat; verebatur enim, ne prope Patrem accederet. Secunda die vocor, præscriboque inunctionem lateri superdandam ex unguento Althææ composito, cum oleo cucurbitino, liliorum alborum, & S. V. crocato, & camphurato. Die tertia, sumit oleum amygdalinum, cum ejusdem spiritus concia, binosque vermes dejecit. Inde dolor per intervalla solummodo infestabat, faciliusque, ac copiosius, ut mihi relatum fuit, expuebat. E Musæo præscripsi mixturam ex tinctura sulphuris Willisiana, elixire proprietatis Paracelsi, & liquore C. C. succinato ad guttas xxv. mane, & sero in jure ex emollientibus sumendam; quod factum cum Euphoria, & vermium dejectione. Die nona mihi retulere, cum mitiore adhuc febri laborare. Ut sumeret imperavi

botulos ex Mercurii dulciis gr. xvj, granisque xx. pillularum de hyera cum Agarico, sufficienti quantitate syrupi Absynthii exceptis. Quid præstiterint boli, nescio: scio tamen illum convaluisse.

XII. Vir prope habitans, annorum 30. siccioris, & robustioris temperamenti, qui hujusce filii Patri ægrotanti ministraverat, mortuum induerat, atque humarat, tempore eodem magno dolore capitis laborabat. Pulsus plenus, ac fortis, sed parum frequens: calor, ut ipse ajebat, acerrimus: morbum facilime ferre videbatur. A potione magistrali scripta, insanivit, vermes evomuit, & die morbi quarta obiit.

XIII. Pulcinici, adolescens, quatuordecim annorum, a labore, atque itinere excalefactus, domum redux, fibri cum rigore corripitur. Adfuit postea summus æstus, capitis dolor, tussicula aliquid crassi educens, quod tamen adolescens non expuebat, sed deglutiebat, & dolor lateris minime molestus; cujus situm, ut fieri debuerat, diligentius exquirere, operæ prætium non duxi. Copiosior quoque latex salivalis ex ore fluebat. Prima accessione febris, lumbricus sine ullo auxilio dejectus. Die eodem, quo vocor, mane præscribo pulverem ex granis tribus altes, Mercurii dulcis, sex, & diagrydii quatuor, quem ab assumptione evomuit: nihilominus bis

bis fætida, & aquoſa dejecta. Pro potu, aqua ex infuſione Mercurii cum C. C. philoſophico, exhibetur. Poſt meridiem, ſine rigore febris exacerbatur, ſed cum ſomnolentia, noctemque inſomnem, jactabundamque traduxit. Mane ſequenti, propinantur unciæ quinque olei amygdalini, quod ſequenti nocte ſolummodo alvum ſolvit, vermemque eduxit. Poſtea per quatuor dies morbo eodem in ſtatu perſiſtente, ex jure ſumebat mane pulverem ex Styb. Diaphoret., C. C. philoſophico, oculis Cancrorum, & corallina. Sero ſeptimæ diei gravior fabris, reſpiratio difficilior, tuſſicula frequentior, dolorque acerbior; cujus cum ſedem tactu perquirerem, non thorax, ſed jecur, vel leviter admota manu maxime dolebat. Tunc ego non parum anxius de hepatis inflammatione, illinitionem admoveo ex drachma una cum ſemiſſe ſpermatis cæti in amygdalini olei unciis tribus diſſoluti; hauſtumque ex ſolita aqua cum additione liquoris C. C. ſuccinati; jamque meditabar de venæ ſectione mane ſequenti celebranda. Sed adoleſcens noctu dormiit, & ſudavit; dolor ſiluit; mane bis dejecit, atque ad ſingulas dejectiones, vermes extruſit; cumque ad illum acceſſi, inſpiratio bene ſe habebat. Tuſſis per aliquot adhuc dies perduravit. ſed exhibito Mercurio dulci ad grana viginti, cum granis octo Diagrydii, & Saccharo

charo, a quibus alvus copiose soluta, omnino tollebatur.

XIV. Vidua Eusarchos, annorum quinquaginta, incidit in febrim cum rigore, & dolore lateris dextri ad mammam, & scapulam. Ab itinere sudaverat, neque madidam subuculam deposuerat. Febris in statu maximum calorem, ac faciei inflammationem, & jactationem afferrebat. Febri ingravescente, & dolor gravior fiebat, remittente vero, mitescebat. Noctes, non omnino insomnes, neque impeditus supra utrumque latus decubitus; olei amygdalini copia minime data; illius vice exhibetur oleum olivarum cum aqua ad consumptionem aquæ ebullitum, a quo evomuit acida, & maxime laboravit. Die sequenti, cum idem esset morbi status, ægraque cum domesticis sanguinis missionem expeteret, tunditur brachium partis affectæ, sed absque levamine. Postridie sero exhibetur uncia Mercurii crudi, & egra die sequenti bene se habuit,

XV. Tabellarius pedestris, optimæ temperaturæ, atque habitudinis, annorum viginti. primis Maj diebus per viam febri corripitur. Quibus symptomatibus invaserit, nescio; siquidem cum ad illum die morbi quarto accessi, immane! quam delirabat. Assiduè situm mutabat: tendines manum tremebant: vellicabat stragula, floccosque legebat; quandoque

degravi capitis dorſique dolore conquerebatur: pulſus tardus, & debilis: calor acerrimus. Vomitu cum copioſa virideſcente cachochylia lumbricum excluſerat, qui in acetum ab ejus matre conjectus, non moriebatur. Præſcripſi ſtatim potionis ſolutivæ Magiſtralis uncias quinque cum uncia Mercurii crudi. Item pro ſtomacho unguen ex Electuario de baccis Lauri, oleo Abſynthite, Camæmellino, & Laurino cum S. V. crocato, & camphurato. Alvus vix ſoluta; nihilominus minus jactabundus. Sole Occidente, ut ſequenti mane mihi relatum fuit, denuo maxime delirus. Præſcribo clyſmatis injectionem, ac hauſtum ex aqua Infuſ. Mercur, ſucci C. B; & Scordii, cum uncia Mercurii crudi, paucis Laudani guttis, & ſcrupulo liquoris C. C. ſuccinati. Neſcivi, quid remedia præſtiterint: ſcio ſolummodo eum poſtridie obiiſſe die morbi ſexta.

XVI. Medio maj menſe juvenis 24. annorum, corripitur febri cum dolore lateris, & capitis. Ad me mittitur, ut aliquid illi præſcriberem; quapropter oleum amygdalinum imperavi, ut ſumeret. Per ſex dies nihil de eo mihi relatum. Die ſeptimo ad me denuo ventum eſt, relatumque illi a Chirurgo ſanguinem emmiſſum deinde copioſo alvi fluxu exercitum, aliquotque craſſiores vivos vermes, rubenteſque excluſos. Tunc eſſe delirum, & conqueri de Stomachi doloribus: expetebant

ita.

itaque, ut illum inviſerem. Verum cum ad ægrum tunc accedere non poſſem, præſcripſi aquam ex infuſione Mercurii, cum Elixire proprietatis Paracelſi, ac liquore C. C. ſuccinato. Poſt duos dies migravit ad plures.

XVII. Virgo quatuordecim annorum Collem elatum inhabitans, Aprili inclinante acutiore febri corripitur cum dolore, tuſſicula aſſidua, per noctem ſicca, per diem aliquid cruenti educens. Noctes erant inſomnes, pulſus duriuſculi, & exiles. Quarto die, quo vocabar oleum amygdalinum, cum S. V. crocato, & camphurato ad unciæ ſemiſſem procato, latuſque dolens illinitur unguento Alpino, Althææ compoſito, cum eodem Spiritu. Ab oleo binos teretes lumbricos evomuit, ſed tanto labore, atque anxiatate, ut ejus parentes de inſtanti obitu timentes, Parochum accerſerent. Sero melius aliquantulum ſe habens, ſumpſit aquam ex infuſione Mercurii cum pauca aqua ſucci Meliſſæ, & guttis aliquot Elixiris Paracelſi, Liquoriſque C. C. ſuccinati. Nox inde minus gravis. Mane ſequenti unciam crudi Mercurii haurit, indeque omnia ſymptomata e conſpectu ſe proripuerunt, & ſana facta eſt. Una ex iis fuit ægrotantibus, qui de malo odore *freſchino* appellato, conqueſta eſt.

XVIII. Creſcente majo ruſticus 50. annorum, cum per montes armenta duxiſſet, ſicu-

ſiticuloſus, atque excalefactus aqua Fontana frigidiſſima ſe implevit. Sero eodem domum redux. febri corripitur cum obtuſo dolore ad coſtas nothas lateris dextri, & magno rigore. Nullo Medico auxilio eo uſo, cum omnia ingraveſcerent, vocor ſero diei ſextæ a morbi inſultu; ægrumque invenio ſatis graviter febrientem; difficulter reſpirantem; cum pulſu firmo quidem, ſed non raro intermittente. Genæ roſeæ, contra, ac eſſent in ſtatu ſalutis: cum anxietate, & dolore loquebatur: pauca tuſſis cum ſputo in pectore perſtrepente: neutri lateri incumbere poterat. Retulere mihi domeſtici, quod paulo ante quam illum inviſerem, anima ferme agere videretur. Cauſa externa, quæ morbum excitavit, ac ſymptomata, quæ urgebant, obſeſſi inflammatique Pulmonis Ideam menti meæ obijciebant; nihilominus, cum caſus præceps mihi videretur, volui ſanguinem mittere, ne ſi non ſervaſſem, occidiſſe viderer. Ad ſputum itaque ſollicitandum, humoreſque attenuandos, præſcripſi aquæ ſucci C. B. Meliſſæ, Scorzon. Singularum, uncias tres: Syrupi de quinque radicibus, & hedera terreſtri, ſingulorum unciam, & dimidiam, Liquoriſque C. C. ſuccinati, ſcrupulum. Mane ſequenti ad Auroram retulere ad eumdem modum ſe habere. Præſcripſi uncias quinque olei amygdalini cum S. V. crocati, & camphurati uncia; linimentum-

tumque contra lateris dolorem, qui ante consopitus, denuo infestabat. Sero pejus se haberi relatum fuit. Suprascriptam mixturam denuo hausit: die sequenti eadem, ac mixtura denuo propinata. Postera die, morbi nona quinque grandiores lumbricos extrusit, duos vomitu, tres per alvum.

Præscripsi

℞ *Aquæ succ. C. B.*
Scorzon.
Scordii } an. ℥ iij.
Mercur. crudi ʒ j.
Spirit. cisri gutt. iiij.

Convaluit

XIX. Plerosque alios minus graviter ægrotantes, quorum historias adversariis non consignavi, tali remedio felicissime restitui. Sed præstat historia mihi comunicata hisce Observationibus finem facere. Clinicus apud nostrates Clany, integerimisque moribus præditus Hieronymus Nascimbem; cum tertio Paschatis Festo una essemus, narravit mihi, se die morbi sexto mulieri gravissime a Pleuritide decumbenti oleum amygdalinum exhibuisse; cum sputi suppressio, respirationis difficultas gravior, pulsuumque debilis micatio, ægram in malis esse satis testarentur. Ab oleo vermes evomuit; sed cum labore adeo magno, ut ægra tantum non moreretur. Cum vero postridie binas solummodo Mercurii dra-

chmas sumpsisset, copiosissime expuit, noctu sequenti sudavit, nullisque vermibus secedentibus mane sequenti apyretos, atque integre sena est inventa est. Membranæ intestinales a spasmis male affectæ, pectoris vasa crispabant; liberum humoribus circuitum tollebant; inflammationem causabantur; sputumque convulsorio modo supprimebant. Exclusione, & morte vermium ablatis intestinorum stimulis, vasibus laxitas sua restituta; inde sputum copiose eductum; serum per sudores effusum; ægra ad sanitatem perducta. Paucis ea attigisse mihi videor, quæ suppreditent, tum ad horum morborum ideam conficiendam, tum ad eos curandos. Maxime vero ostendere queunt, quantum periculi immineat a languioribus præsertim sanguinis eductionibus; cum istæ, ut morbi causam extra animal stabulantem non tangunt; sic sanguini crudis, impurisque succis referto (quod obtinet in verminosis, Austrinisque constitutionibus) partes impetum facientes, unde vires, vigorque corpori, suffurantur. A bonis Practicis Observatur, sanguinis profusiones facilius ferri Aquilone flante quam Austro.

XX. Hujusce anni constitutio, si cum ea conferatur, quæ anno 1730 viguit, videbimus ab omnino appositis tempestatibus eosdem morbos exortos; vermesque, qui Hippocrate

(a) au.

(*a*) autore, autumni præſertim ſoboles eſſe ſolent, quapropter Coo autumnus θγριωδης ex Dureto, dicitur, & hyemali, & verno tempore ſævire. Quare germinarint; & turbas moverint anno 1730 divinare non auſim. Cum verò anno hoc ſævierint, aliqua plauſibilis ratio, me judice, poteſt afferri. Fructuum horæorum copia, qua præterlapſus annus abundavit, quaque plebs ruſticana ſeſe infarcivit; vermibus naturalibus inteſtinorum incolis, & cibum, & fotum, & nidum minime conducibilem exhibuit. Ita iſti feliciter propagationi incubuere, & ſuccrevere; neque enim e putredine, neque ex inſectorum, aut terreſtrium lumbricorum ovulis, vel cum aere abſorptis, vel cum cibis, corruptiſque aquis, quales apud nos non ſunt, deglutitis, ortum habent animalcula propriis ſeminibus, ovario que (*b*) donata ad ſpeciem ſuam perennandam. Acceſſit deinde uvida, atque Auſtrina tempeſtas, quæ quorumcumque inſectorum geneſi plurimum favet. Nil mirum igitur, ſi noſtrorum quoque inteſtinorum hoſpites luxuriati, & ſæviores facti ſunt. Ita non ſine ratione explicabitur, quare ruricolæ potiſſimum labem hanc ſenſerint; & cur in caſtris ad Rhenum poſitis tantam ſtragem lumbrici ediderint; abſque eo quod ad ſemi-

(*a*) n. Epid. Sect. 1.
(*b*) Vid. Valliſner. Origin. de vermi del corpo umano

na nescio quæ confugiamus in aquis corruptis latitantia, quod a Medicis Gallis factum video ex Mercurio historico Politico Mensis Aprili (*a*)

XXI. Ex harum quoque Constitutionum comparatione noscitur; quod quamvis in utraque eadem morborum interna causa viguerit; nihilominus gravius afflixerit, quæ sub Austrino, & imbrifero cælo deseviit, quam quæ sub arido, & sudo: adeo verum est, quod siccitates in universum imbribus sunt salubriores. In secunda enim laterum dolores minus graves in universum erant, neque ad jugulum ascendebant: febres erant minus acutæ; neque immanes capitis affectiones sævierunt, quæ non paucos hoc anno letho dedere. Notatu certe dignum est, quod etiam a causa in primis viis hærente ad jugulum dolores, claviculasque pertigerint.

XXII. Illud tertio loco ab utrarum Constitutionum comparatione Eruere Practicus sibi Medicus potest (quod etiam ad primam Observationem de Polypo Stomachico demonstravi) effectuum morbosorum causas univocas non esse; cum iidem effectus ab causis diversissimis originem trahere possint, proindeque sine rationali criterio fidendum non esse morborum signis, & descriptionibus, vel exactissima acrivia delineatis; neque eos audiendos, qui

(*a*) p. 63. Edit. Venet.

qui caufarum morbofarum inveftigationem a Practica philofophia abiiciunt. Cordi Medicorum; qui Praxim cum laude exercere velint illud aureum Dictatoris noftri confilium, ut femper hærent neceffe eft: *Bonis Medicis fimilitudines pariunt errores, & difficultates, contrarium vero facit caufa, & occafio* (*a*). Quid autem aliud eft, nifi fimilitudinibus totum inniti, fi morborum hiftoriis, ratiocinio, quo caufas diftinguere poffumus, rejecto, folummodo adhæreamus? Quin cum non pauci fint effectus morbofi, qui Pathognomonico figno carent, quorum cenfui verminofas affectiones jure adfcripfit Sylvaticus (*b*); qui quæfo fieri poterit, ut horum vera, conftanfque hiftoria habentur?

XXIII. Ab ineunte Junio dicti morbi fe fe e confpectu proripuiffe videntur. A quibus excipiendi fint, videbimus.

(*a*) 6. Epidem. ex parva Tabula poft 7. Section.
(*b*) Controverf. 33.

F I N I S.

LUES

LUES VENEREA GRAVIOR SINE SALIVATIONE CURATA.

Differitur de æque tuta, ac Jucundiore methodo, quam quæ per salivationem obtinet morbum hunc persanandi.

OBSERVATIO VIII.

I.

Milès robustus, annorum 30, a coitu impure, gonorrhæam, bubonemque Gallicum contrahit. Cum curationem neglexisset, morbumque per menses aliquot flocci fecisset, bubo sponte subsedit; febricula cum assiduo capitis dolore accessit; raucosus inde fit; a doloribus avuum nocturnis excruciatur; Rhagadibusque, & crustis in volis manuum fædatus. Hisce luis gravioribus Symptomatibus, accedebat latum ulcus, umbilicum sed non profunde depascens; glans penis, ut postea innotuit, tota facta erat ulcerosa; veretrum, inguina, scrotum, frequentibus adeo, ac fætidissimis tuberculis scatebant, ut marcida apparerent; gonorrhæa copio

pioſiſſime fluebat; jamque miſellus ſibi odioſus, commilitonibus gravis, morbo, ſolitudine, mærore, fætore confectus, quaſi cadaver brevi humandum ab aliis ſeorſim jacebat. Ita bene pexus ab ejus Duce mihi amiciſſimo, curæ meæ, Februario ineunte, committitur, ut experirer quid ars in tali conclamato caſu potis eſſet. Cum itaque penſitaſſem ob regiminis ad hydrargiroſim neceſſarii ſervandi difficultatem, ſalivationis adminiſtrationem minus tutam futuram; Catharſi Mercuriali morbum agredi inſtitui, minus etiam, quam par erat de Diætetico regimine ſollicitus, cum ad optatum finem rem perducere minime ſperarem; putans, luem ad talem gradum evectam, vel per exactiſſimam hydrargiroſim vix poſſe ſanari. Præſcripſi itaque pillulas quotidie mane ſummendas ex ℈ j Mercurii, Scamonii ſulphurati gr. xij, & ſufficienti quantitate Therebynthinæ non lotæ. Pro potu, ad evitandas graviores Ducis impenſas, hauriebat decoctum ex aqua Ligni Laurini, Juniperini, & Lentiſcini. Ulceri umbilicum depaſcenti, apponebatur, unguentum de cerusſa cum Mercurio dulci; ac penis, inguina, ſcrotum, decocto ſalviæ, & roriſmarini ex vino fovebantur. Dictæ pillulæ, modo quatuor, modo ſex, quandoque plures ducebant ſedes, quæ tamen nunquam denarium numerum exceſſerunt. Sub harum quoque uſu, aſſi-

assidua sudatiuncula noctu æger madescebat. Post sex dies ab usu pillularum, dolor capitis cessarat; quique noctu artus excrucians somnum adimebat, minus infestus erat: Præputium detumescebat, ac gonorrhæa parcius fluebat. Potuit itaque glans aperiri, quæ ulcere graviore, & calloso prope frænulum corrosa apparuit, pluribus etiam aliis ulcusculis, & in interna præputij superficie, & ad glandis coronam, & per glandis corpus excitatis. Hisce omnibus unguento de cerussa cum præcipitato rubro medebamur. Ridui intervallo dato, pillulas denuo per sex alios dies repetebat; & die duodecimo, tum umbilici, tum penis ulcera carne implebantur, & sanabantur; disparebant inguinalia tubercula iis persistentibus, quæ penem, scrotumque occupabant; Gonorrhææ vix aderant vestigia; & vires instaurabantur. Nulla vacatione interposita, sic continuavimus usque ad vigesimum diem, cum apyretos inventus est, Rhagadibus tamen, & tuberculis Scroti obstinate persistentibus. Sed cum decocto rorismarini, & salviæ, alumen rupeum adderetur, eoque manus etiam foveret; crustæ decidebant, & penis tubercula evanescebant, scroto tamen tuberculoso remanente. Post quatuor dierum vacationem catharsis denuo instituitur, & scroto Emplastrum de ranis cum duplici Mercurio superdatur; unde

unde. & quæ scrotum obsidebant tubercula disparvere, ægerque antea ferme tabidus, de nutritione satis bene se habebat. Mense exacto ad me veniebat, ut aliquid illi præscriberem contra frequentissima rubra tubercula ad occiput exorta, quæ ad quatuor dies repetita catharsi, & fotu cum alumine admoto, disparuere. Vere deinde labente in colli parte postica tumor excitabatur. Denuo catharsis instituta, ceratumque Mercuriale appositum, a quo tumor emolliebatur. Tunc a Chirurgo dissectus; haud difficulter ad integritatem perducebatur. Miles inde habitior, torosiorque evasit, sed raucus permansit; cumque post duos annos Corcyra-nigra discessi, inculpata adhuc valetudine fruebatur.

II. Cum ad Medicum spectet, nedum tuto, sed jucunde, & cito curare; temporis jacturam illum e Medentibus facere minime cogito, qui, quoad potest, omnem movit lapidem, ut ægrotos sibi concreditos, nedum tuto, sed cito, & jucunde ad sanitatem perducat. Cum itaque, nedum per scriptam historiam sed ab aliis tum meis, cum aliorum observationibus edoctus, Methodum, qua repetita catharsi Syphilidi medetur, non modo æque tutam, ac quæ per hydrargirosim obtinet, sed multo jucundiorem, absolutioremque comperiri; hanc brevi Dissertatiuncu-

la

la illuſtrare mihi in animum induxi ; ut ſi etiam aliis medentibus in lue curanda, ut mihi, feliciter reſponderit ; ſalivationi per hydrargirum inſtitutæ, curationi nempe, quæ de ſævitia prope cum morbo certat, jure merito, nedum ſubſtituatur, ſed anteponatur.

III. Id vero, ut præſtem, obex primo quidam Magnus mihi tollendus eſt, auctoritas nempe Practici, inter alios nervoſiſſimi, Sydenhamii, qui non Mercurium luis domitorem putat, ſed peculiarem excretionem, quæ per ſalivales glandulas fit. Quaſi venenum Venereum Regiam oris viam, ut e corpore exeat ſolummodo affectet; ſeu, ut magis phyſice loquar, alia corporis emenctoria, & ſecernicula, liquores veneno venereo infectos, tranſmittere apta, aut proportionata non ſint. Quæ ſententia adeo Cordi Sydenhamio inhæſit, ut expreſſe tradiderit: *nullum adhuc experimentum adferri poſſe* (a) *extirpati hujuſce morbi, niſi per ſalivationem ab hydrargiro excitatam, quidquid tam doctorum nonnulli, quam indoctorum de aliis ſanandi modis ſatis temere effutiverint*. Cui aſſertioni, ob viri reverentiam nil aliud reponam, niſi illum ex iis fuiſſe, qui nil rectum, niſi quod ſibi placuit, ducunt; ideoque aliorum Obſervationes vel non evolviſſe, vel neglexiſſe; perinde, ac

[a] Epiſtol. reſponſ. 2.

ac fecit dubio procul Fernelius ; cum tradidit (*a*) febrim continuam , neque ſudore , neque ſanguinis profluvio , neque abſceſſu , per alvinam dejectionem ſolummodo poſſe ſanari.

IV. Quoniam vero cum eo viro mihi res eſt, cui rationis ſcintillulæ , quibus miſeri mortales præditi ſummus , non ad veritatem eruendam, ſed ad fallacias, & præjudicia captanda ſolummodo inſerviunt ; augumenta , quamvis non hypothetica ; ſed ab iis deprompta, ut magnus vult Hippocrates, quæ viſuntur, quæque in poteſtate noſtra ſunt ; a vitio, nempe, humorum Syphilcide inquinatorum , atque a figura , pondere , & diviſibilitate Mercurii, ommittam ; horumque vice ea ſolummodo oggeram , quæ omnino Practica cuicumque Medicorum obvia eſſe poſſunt , & ſunt. En igitur, quod verba in pauca confero ratiocinis mei fundamenta. Si pertinaciſſimi effectus Venerei veneni, vel aliis remediis non cedunt, vel non ita bene , ac hydrargiro cedunt ; velis, nolis, conſiteare neceſſe eſt, luis Venereæ fortiſſimum , ac peculiarem domitorem eſſe Mercurium : ſeu Mercurio vim eam ineſſe , quæ in aliis non invenitur remediis ad Gallicos effectus tollendos. Ad rem igitur.

V. Venerei bubones, per Mercurium , vel diſſipantur, vel feliciſſime emolliuntur . Ar-

tuum

(*a*) Method. medend. 70.

tuum dolores, quibuscumque remediis resistentes, Mercuriali Emplastro super dato, mitescunt. Tophi, Gummata, Exastoses, non nisi per apposita Mercurialia, vel minuuntur, vel tolluntur, vel mollescunt. Tumidi ex gonorrhæa testes, vix ulli remedio, nisi hydrargiro cedunt, tutissimeque hic testibus admovetur absque ullo evirationis, vel infæcundi reddendi seminis discrimine, quod multiplici mihi experimento constat. Atque hic equidem miror, hujusmodi tumores, ita faciles semper discussioni Sydenhamio contigesse, ut cataplasmate, e farina fabarum, & oxicrato perbelle tollerentur; cum mihi, ac plerisque aliis e medentibus haud ita bene id cessisse sciam, quin opus tandem fuerit ad Mercurialia confugere. Tali cataplasmate, bis equidem ex Riverio (*a*) felicissime testium inflammationes non venereas discussi; verum, parum, aut nihil valere contra Venereos testium tumores, experimento didici. Quod tamen unusquique etiam ex Riverio discere potest, cui minus feliciter cessit (*b*), tumidi per dictum Emplastrum ex Gonorrhæa testiculi curatio; qui tandem, sed ægre, potius per iteratas ex pede, brachioque venæ sectiones, purgationemque copiosam, ad statum ferme naturalem perducebatur,

(*a*) Observ. Centur. 2. 39.
(*b*) Centur. 3.

batur, quam per vim dicti Cataplasmatis ? Quid igitur? Vi Mercurii cedit, nec ne venenum Venereum? Minime respondet Sydenhamius, quia si quandoque lui Gonorrhæa conjungatur, licet lues salivando curetur, gonorrhæa adhuc persistit. Mirum ædepol argumenti genus! Ego inde deducerem, quod, quæ per oris emunctoria instituitur evacuatio, gonorrhææ tollendæ par non sit, quemadmodum impar est etiam sudoris per decocta Lignorum prolectio; quamvis Langius (*a*) edoceat gonorhæam virulentam melius non curari; quam per Guaiaci decoctum, aut unguentum ex hydrargiro Ut argumentum recte concluderet, ostendere deberet Sydenhamius, non quod salivatio gonorrhæam non tollat; sed quod Mercurius Gonorrhoææ non medetur. Sed nedum Celebriores Practicos ex adverso stantes haberet, qui Mercurium dulcem, aquam ex ebullitione Mercurii, ejusdem metalli præcipitata ad gonorrhæam commendant; sed sibimet semetipsum contradicentem nancisceretur, qui gonorrhææ pervicaci Turbith minerali, & Mercurio dulci medetur. Mercurialis ptyalismus luem Veneream utique curat; sed id ab eo præstatur, quia per Mercurium instituitur. Quod si aliud remedii genus inveniretur serum sanguinis per oris

P emun-

(*a*) l. 2. Epistol. 5.

emunctoria proliciens, non eo tamen pondere, neque figura, neque divisibilitate, qua Mercurius præditum esset, a veneno Venereo infectos minime sanaret. Cum enim hoc, ut ex Anatome Practica constat (a) difficilime solubili coagulo humores condenset; id remedii genus requirit, quod, nedum, vel minima interstitia penetrare possit (id vero sphærico corpori maxime datum est) sed etiam eo ponderis momento specifico instructum sit, quod compacta disjicere, dissociare, ac fluxilia reddere queat. Quod si aurum absque eo quod de suo specifico pondere quicquam ammitteret, in ita parvas sphærulas, ac Mercurius dividi posset; nullus dubito, quin contra Syphillidem magis quam Mercurius valeret. Ut enim Mercurium quinquies pondere excedit, se habet enim ad Mercurium aurum: 19. 14, sic quintuplicata vi Mercurium in lue debellanda excederet. Qui vero ajunt ob suam specificam gravitatem fieri, ne cum fluidis in orbem circum ageretur, næ isti nescium, quæ corporibus in eorum divisione contingunt, in qua ad minima redacto pondere cum non minima superficie, aptiora red-

(a) Ex Observ. massæ apud Bonet. in Sepulchr. T. 3. l. 4. Sect. 9. Observ. 1. in Scorto, quod a partu objerat, quodque superfætationem in utero habebat, vidi inguinales glandulas cretacea veluti materia obstructas. Plures habebat, bubonum curatorum cicatrices.

redduntur, ut vel in tenuissimis, levissimisque liquidis innatent.

VI. Cum itaque, vel Galeno teste (a) id interius sumpta præstent Medicamina, quod in vulneribus, atque exterius admota: Mercurius vero externe appositus molliat, solvat, discutiat, dissipet; id etiam interius sumptum præstare certissimum erit. Ideo igitur Syphilidi medetur, quia humores a Syphilide coactos solvit, & ideo præ aliis remediis melius medetur, quia inter alia solventia medicamina primas obtinet partes. Jure igitur Elegantissimus Fracastorius, licet causam ut dicitur, non tetigerit, de eo cecinit:

Argento melius persolvunt omnia vivo
Pars major: miranda etenim vis insita in illo est.
Sive, quod id natum est subito friguſque, caloremque
Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,
Quodque est condensum, humores dissolvit, agitque
Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit,
Sive acres, unde id constat, compagine mira
Particulæ, nexuque suo, vinclisque solutæ
Introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri
Colliquant concreta, & semina pestis inurunt (b)

(a) De simplic. Medic. facult. l. 4. c. 17.
(b) De Syphilid. l. 2.

Cùm Mercurius, vel indefinite, vi minima divisibilis sit; quibuscumque minimis porulis, vasisque transmeandis aptus evadit, eaque reconditissima animalis penetralia subire poterit, quo pertingere reliqua nequeunt solventia. Quorum moleculæ, si forte quandoque eam nanciscantur exilitatem, per quam etiam minimos tubulos valeant subire; per actionem, & vim vitæ ita immutantur; ut aliæ omnimode ab iis, quæ assumebantur, evadant, momentumque virium a figura, pondere, & consistentia dependens ammittant, quo in vasis majoribus concreta, & contenta resolvere quibant. Mercurius vero, vel ad exhalantis fumi exilitatem redactus, ob suarum particularum soliditatem idem semper Mercurius sit, eadem figura, & specifica gravitate donatus. Non ideo itaque medetur, quia salivationem ciet solummodo; quoniam si fluxiliores humores per salivationem eliceret, qui vero stasi correpti sunt, intactos sineret, vel ad longius tempus protracta, atque ad majorem quantitatem evecta salivatio, Venereum morbum minime curaret. Stat igitur, quod Mercurius ideo Venereo morbo medeatur, quia solvit; quodque felicius præ aliis medicaminibus medeatur, quia potentius resolvit.

VII. Satis tamen non est liquida per salivationem coacta dissolvisse, nisi soluta, &

liqui-

liquidiora reddita extra corpus ejciantur. Si enim virus in corpore restitaret, fluida ab ejus commercio jam soluta, denuo coinquinarentur, morbusque, quasi Hidra, reviviscere; quemadmodum fieri videmus cum morbi radices succisæ omnino non fuerint. Agitur igitur de veneno e corpore eliminando, ac de viis, per quas expelli debent.

VIII. Id per Phyalismum efficitur, quo mediante per oris totius emunctoria humores liquati, virusque Celticum exturbatur. Ptyalismus iste, vel suffumigiis, vel Mercurio extterius in unguinibus admoto, vel eodem dulci reddito, intro assumpto, obtinetur. Sed quia faciliore modo si Mercurius per os exhibeatur, & regitur salivatio, & remedii vis, prout opus retundi, vel acui potest; apud Practicos Celebriores in usu est salivationem per Mercurium intro assumptum excitare. Antequam igitur salivationi æger subijciatur, laxante aliquo medicamine primis viis absterfis, humectante decocto illum ad aliquot dies implent istoque opere absoluto, ad pillulas mercuriales Sialagoga deveniunt, quas conficiunt ex drachmis tribus Mercurii dulcificati, & sufficienti quantitate alicujus gummi, aut extracti, prout sua cuique placent, ex qua massa viginti pillulas æqualis ponderis conficiendas præcipiunt. Prima die, duas, vel tres ex hisce

pillulis ægro exhibent, inter utramque bihoreo interposito: inde dosis augetur, prout salivatio procedit; cujusquantitas ad trium, quatuorve librarum pondus nycthemeri spatio ascendere debet. Si quando Mercurius tormina ciceat, cruoremque ex intestinis proliciat, quod nequaquam infrequens est; obviam malo symptomati, opiato itur: si salivatio copiosior sit, quam ferre queat æger; clysmate, vel purgante, vel sudorifero sistitur; oris vero ulceribus, gingivisque sanguinem eructantibus, apto gargarismate medetur. Producitur salivatio, donec sputum non amplius viscidum, sed album, spumosum, & æquale excernitur; quod raro ante quadraginta dierum spatium obtinetur. Subinde minore dosi Mercurii utendum per alios viginti dies est, ut lenioris sputationis maneat vestigium.

IX. Salvationis processu fideliter exarato, videamus quæ incommoda dicta curatio afferat. Æger, saltem per quadraginta dies in cubiculo rigide conclusus cœli, aerisque purioris commercia vitare debet. Ptyalismo ad statum evecto, nedum ob copiose fluentem salivam, gingivarumque dolorem noctes insomnes agere debet; sed ob ulcera, universique oris, ac linguæ humorem, vix liquida deglutire potis est. Dentium verò gomphpsis ita laxatur, ut tremuli evadant, ac quandoque ex alveolis non pauci decidant. At hæc omnia,

omnia, quamvis gravia, quamvis thædii, nec raro periculi plena; vix, ac ne vix quidem æquiparari poſſunt illi virulentæ mephiti, quam excreta ſaliva olet; ad quam oratione explicandam, non Medici, ſed vix exagerantis oratoris (ità me Dii ament) ſtilus ſufficeret: Atque hæc, dum recte ſalivatio procedit. Quod ſi contra eveniat; febris gravior; capitis doloroſæ affectiones, tumefactiones immanes, membri alicujus ſtupor, convulſivique motus accedunt. Neque ſane leve omnino eſt, quod iis, qui ſtudium hoc percurrerunt, ad expuendum procliritas toto vitæ curſu remanent, quæ in concitatiore oratione (ut digeſtionis noxas ommittam) in Declamatione, in cantu non parum negocii faceſſat.

X. Ut humorum a Syphilide concretorum liquatio, ſci ſalivatio, quæ ſecum tot incommoda trahit, a Mercurio procedit; cum etiam ſi ſano corpori Mercurius vel intrudatur, vel apponatur, ſalivationem, non ſine fætore cient. Quare effectus iſte a Mercurio præſtetur, me omnino neſcire confiteor; neque enim palato meo ſaſciunt, quæ de illius intra humanum corpus ſublimatione, tanquam hujuſce effectus cauſa, circumferuntur. At audacter aſſerere auderem, non ob id Ptyaliſmum lui Venereæ efficaciſſime mederi; quia oris emunctoria ſolummodo Venereo veneno

transſmittendo apta nata ſint. Unde enim horum emunctoriorum ad virus hoc transſmittendum aptitudo major exoriri poteſt? An a ſitu? Sed humores ſupra, vel infra neſciunt, verum eo feruntur, quo vis impellens eos urget. An a figura? Commentum de diverſiformibus poris apud ſolidioris phyſiologiæ cultores, jam exolevit. An a ſalivalium canalium diametro? Sed concreta Gallica a Mercurio liquata, per minima etiam oſſium vaſcula, facilime transſmeant. Cum nulla itaque ſit aſſignabilis ratio, per quem humores Syphilide infecti, per oris potius, quam per reliqua corporis emunctoria ſeparentur, atque expurgentur, reſtat, ut a modo evacuationis totus ſalivationis profectus expectetur.

XI. Si quid itaque judicando valeo, ob nullam aliam rationem Mercurialis Ptyaliſmus lui Venereæ optime medetur; niſi quia humores a veneno Venereo concretos, & per Mercurium liquatos, nulla interpoſita mora e corpore expellit. Id, neque diuretica, neque ſudorifera præſtare poſſunt, tametſi illiuſmodi forent, quæ Gallicis coagulationibus ſolvendis paria eſſent; quia horum virtus facilime langueſcit, neque ſanguini diuturnam, ut ita dicam, impreſſionem, quemadmodum facit Mercurius, comunicant. Clarius tamen id, quod dico, vel dicere volo

lo explanabitur, si victum, atque excretiones hominis salivantis ad calculum reducam.

XII. Tametsi rictus plenior salivanti circumcidatur, non eo tamen parsimoniæ adigitur, ut vires, quoad salivatio ad finem perveniat, suffecturæ non sint. Sumat itaque diei spatio libras quatuor alimenti maxime nutritii, ejusque indolis, ut sunt animalium juniorum carnes, & jura, unde paucæ educantur fæces. Ex hac ubi quantitate, in intestinis stercoracea materies sequestrari debet, quæ in homine recte perspirante ex Sanctorio (*a*) noctis tempore libræ mensem non excedit. Sed quoniam dimidiata cibi quantitas salivanti solummodo datur, quin, per ptyalismum ex alvi dejectione aliquid demature necesse est (ii enim, quibus recte salivatio succedit, sicciore sunt alvo) ponamus in singulos dies duas tantummodo stercoraceæ materiæ uncias a cibis sequestrari, tametsi quotidie alvus non dejciat. Igitur 46. unciæ chyli solummodo sanguinem ingrediuntur, a quo latex urinosus secernendus est. Iste in homine recte se habente, & plenius vescente, ascendere solet unius noctis spatio ad uncias sexdecim (*b*) plus minis. Quamvis tamen per diem plus, quam per noctem mingamus; ponamus urinam nycthemeri spatio ab

(*a*) De ponderat. aphor. 72.
(*b*) Aphor. 59.

ab homine ſano, ſed non bibone expulſam 32 unciarum pondus æquare. In noſtro autem caſu, cum dimidiam ſolummodo ſalivanti demus cibi quantitatem, demus illi etiam dimidiam quantitatem, urinæ (de urina ſanguinis ſemper loquor) quæ erit unciarum 16. At cum ſalivatio adaucta, urinam quoque minuat; urina, quæ a ſalivante nycthemeri ſpatio mingitur, duodecim unciarum pondus æquet. Chyli igitur ſuperſtes quantitas ad 34. uncias redacta erat. Porro ex pondere octo librarum cibi, & potus, quinque per inſenſibilem tranſpirationem evolant (*a*); probabiliter itaque ex quatuor librarum pondere, triginta unciæ in fumum, & auras abibunt, fiet etenim: *96. 60. 48. 30.* Nempe ut ſe habent octo libræ, quæ æquivalent, unciis nonaginta ſex, ad libras quinque quo ſunt unciæ ſexaginta; ita quatuor libræ æquales quadraginta octo unciis, ad libras duas cum dimidia, ad uncias nempe triginta. Cùm tamen, *ſi quis plus juſto ſenſibiliter evacuat, minus juſto perſpiret* (*b*) ex hiſce triginta perſpirationis unciis aliquid demendum eſt, quod per ſalivationem, ſive educitur, ſive impeditur: hoc vero ita non inepte ſupputabimus. Frequentia Senum ſputamina ex laudato Sanctorio; referente Liſte-

ro

(*a*) Aphor. 13.
(*b*) Ad aphor. 82.

ro (*a*) decimam totius perſpirationis partem æquant; verum, cum Mercurialis Ptyaliſmus Senum ſputamina quantitate longe excedat; multo magis etiam ſalivationem inminuet. Ponamus quartum ſolummodo (hoc autem magis a vero deficiet, quam illud excedat) perſpirationis partem per ptyaliſmum demi; portio, quæ perſpirat, ad uncias 22. cum dimidia ſolummodo redacta erit. Deme igitur e triginta quatuor unciis ſucci nutritii uncias viginti duas cum dimidia materiæ perſpiranti; ſuccus nutritius remanens, undecim unciarum pondus cum dimidia minimè excedet. Sed qui Ptyaliſmo exercetur nycthemeri ſpatio tres libras expuit, ergo ſingulis diebus humorum in orbem euntium vigintiquatuor uncias cum dimidia (undecim enim dimidia plus a chylo reſtituuntur) exhaurit. Ergo ſpatio quadraginta dierum, libras octoginta unam cum unciis octo. Cum vero ſanguinis, & lymphæ maſſa ad ſummum 34, libras non excedat; ſequitur, quod ſalivationis ſtadio dimenſo veteres omnes morboſi ſucci e corpore expulſi ſint, in quorum locum, cum novi, & ſani ſucceſſerint, homo inde doloribus conſopitis, ulceribus exiccatis, cuteque deterſa, innovatur, diverſuſque omnino ab eo, qui cubiculum intravèrat e cubiculo exit.

Qualis

(*a*) Ad aphor 82.

Qualis ubi in lucem Coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum, quem bruma tigebat.
Nunc poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa,
Lubrica convoluit ſublato pectore terga,
Arduus ad Solem, & linguis micat ore triſulcis.

XIII. Tanta equidem præſtat Ptyaliſmus, ſed eadem præſtat quoque repetita Mercurialis catharſis, quod me facili negocio nunc demonſtraturum confido. Mercurius, qui quolibet mangonio Chymico exagitatus ſemper idem Mercurius eſt; etiam cum eo fine porrigitur, ut alvum ducat, vaſa ſanguinis ingreditur; in orbem rapitur; atque in penitiſſima corporis penetralia penetrans, venenum invertit, venereaque coagula reſolvit, fluxuique apta reddit. Ita motui aptiora reddita, eo fluere debent, & quo per vim ſtimuli ad inteſtinales membranas agentis, evocatur (id vero notum cuicumque, qui magnum Bellinum de ſtimulis differentem legerit) & ubi vaſa evacuata exinaniuntur, liquidiſque fluentibus locum faciunt, & reſiſtentias imminuunt; quæ res in inteſtinorum vaſis peragitur. Cum igitur ea erit inteſtinalis ſecretio, ut totum venereum venenum liquatum, fluxuique aptum redditum;

ex-

exhaurire possit; molem universam succorum veterum e corpore ejiciet; in quorum locum novis, & sanis succedentibus, homo totus innovabitur.

XIV. An probandum mihi nunc est, Mer-
curium venas intrare? Id ex calore, & cita-
tiore pulsu, qui validiorum purgantium as-
sumptionem consequitur, indicari putat Cla-
ris. Freind (*a*). Sed cum hæc a sola stimuli
vi qualibet in corporis parte agente pende-
re possint; pace tanti viri dixerim, rem con-
ficere mihi nequaquam videntur. Quæ vero
subdam, ni fallor, extra dubitationis aleam
eam ponent. Quandoque uni ex meorum li-
berorum nutricibus vermibus laboranti, Mer-
curium dulcem cum Diagrydio exhibui: post
non multas horas, cumque vix illam expur-
gasset, lac adeo purgans redditum fuit; ut
necesse habuerim infantem ab ejus uberibus
subtrahere, eoque, & sequenti die alteri mu-
lieri nutriendum præbere. Hippocrates quo-
que observavit a validioribus catharticis pur-
gatoriam vim lac nancisci, cum scriptum re-
liquit: *mulier: capra, elaterium, aut cucume-
rem sylvestrem comedentes, pueris purgatio* (*b*)
An non, vel a flore Cassiæ, nigro colore fæ-
datam urinam sæpissime cernimus?

XV. Hisce præpositis, nunc optime pera-
ctum

(*a*) Comment. 7. p. 64. Edition. Venet.
(*b*) 6. Epid. sect. 5.

ctum ego agerem, si postquam Præclarissimus Freind (a) quæ per cathartica obtinetur, alvinam evacuationem examinavit, denuo ad calculum reducerem. Demonstravit Doctissimus iste vir, quod evacuatio alvina, octo horarum spatio, seclusa succi biliosi, & Pancreatici eductione, ad 48. uncias ascendere possit. Cum itaque purgans ex Mercurio, & Diagrydio concinnatum, neque sit e mitioribus, neque e validioribus (non enim violenter ducit, neque fæces eductæ, si bene memini bile tinctæ apparent, sed omnino serosæ, & mucosæ) ponamus per hunc 48. uncias solummodo succorum elici, seu quatuor libras. Deme ab hisce quatuor libris uncias undecim cum dimidia, quæ restituuntur a chylo; succi per Mercurium educti, triginta sex unciarum cum dimidia, pondus æquabunt. Duc modo 36x27. habebis uncias 972, nempe libras 81. Quibus si addas semiuncias, habebis ferme octoginta duas libras succorum spatio viginti septem dierum per catharsim eductorum. Tota igitur massa veterum humorum multo minore temporis impendio per Catharsim, quam per Ptyalismum expurgabitur. Ascendat tamen, & Ptyalismus ad quatuor libras, non ob id tamen, ut Praxis demonstrat eodem temporis spatio, quo per Catharsim, absolvetur curatio. Quare hoc?

XVI.

(a) Loco citato.

XVI. Quælibet excretio ſenſibilis plus juſto copioſior, inſenſibilem diminuit. Vero cum inſenſibilis perſpiratio qualibet hora æqualis non ſit; ſequitur de hac minus demi per eam ſenſibilem evacuationem, quæ tempore minoris tranſpirationis inſtituitur. Porro evacuatio, quæ per Ptyaliſmum habetur, qualibet hora in ſanguinis ſuccos agit, proindeque etiam cum maxime perſpiramus, tranſpirat. Hinc fit, ut Mercurii vis, quæ veteribus humoribus educendis inſumeretur; vires ſuas exerceat contra materiem tranſpirationis retentam; ideoque non niſi longiore temporis ſpatio univerſam ſuccorum molem educat, immutetque. Circa catharſim res ita minime ſe habet. Verum quidem eſt, die Medicinæ trium horarum ſpatio exiguam fieri tranſpirationem (*a*), ſed cum Catharticum ſuas exerat vires horis illis, quibus parum perſpiramus (a duodecima ſiquidem a cibo hora (*b*) ad decimam ſextam, vix ſelibra perſpirabilis evolat) Cathartici vis in educenda perſpirationis materia nimis occupata, veteribus ſuccis liquandis, & extrahendis inſumitur. Hinc ratio, quare repetita Catharſis luem citius præ ſalivatione curet.

XVII. Huic Diſſertatiunculæ major pars

detracta

(*a*) Sanctor. de ponder. aphor. 53.
(*b*) Ibid. aphor. 56.

detracta jam est, quæque restat, ex sola hydrargirosis cum Mercuriali Catharsi comparatione absolvetur. Cum ad Catharsim, neque opus sit ægrum per plures dies ptisana humectare; neque tanto temporis spatio, ac per primam exerceatur; longe minore temporis impendio hoc quoque de nomine curatio per hanc, quam per primam ad umbilicum perducitur. Externi aeris commercio salivanti ægro interdicitur: cacanti, opus est solummodo, ut vestibus se probe muniat; catharticique opere absoluto, si vires ferant, & placidum sit cælum, aeri etiam liberiori se potest committere. Mercurio delibutus, ob assidue fluentem salivam, ob ejusdem fætorem; ob os tumidum, & exulceratum, somnum vix capere potest: cui alvus subducta est, noctes placide transigit, nisi dolores, morbusve urgeant. Huic, dentes, neque excidunt, neque laxantur, curationeque peracta, nulla medelæ vestigia remanent; cum primo, nulla arte emmendabilis proclivitas ed spuendum restites. In Catharsi nullum periculum ex iis, quæ imminent a salivatione, nullusque timor, vel de alvo nimis fluente, vel non respondente; cum tamen in primo casu, vel copiosior sputatio, vel parcior, & ægrum, & medentes sollicitos teneat; ne vel remedii vis efficacior ægrotantem prosternat; vel minor, quam morbus exigat, nequaquam curet.

curet. Quod si verum est, ut ait Sydenhamius, gonorrhæam per Ptyalismum non curari, quod mihi usque modo experimento non constat; in hoc etiam mea methodus supra alteram excellit, quod illa, una fidelia, ut dicitur, duos dealbet parietes; nempe, & luem averruncet, & gonorrhæam curet, ut ex descripta, & infra describendis historiis palam fiet. Id etiam ex hac methodo commodi habemus, quod, vel infectis puerulis aptari possit, quemadmodum ex aliorum observationibus adducendis, evincam; quibus salivatio mortem accerseret.

XVIII. Sed illud circa curationem per Catharsim institutam sedulo considerari meretur, quod cum minore virium dispendio, quam hydrargirosis, opus absolvat, cujusce rei multiplex ratio assignari mihi posse videtur. Prior, quod latex salivalis, spiritibus, unde corpori vigor, satis abundet, quod de lympha intestinali saltem non constat. Altera, quod commode edere possint, qui catharsi exercentur, quod salivanti plerumque difficillimum est. Primis, ob intestinorum villosam tunicam detersam, purior chylus sanguini accedit, quam commoditatem, qui spuunt, non habent. Vires tandem cacantes a cathartico convulsas, multarum horarum quiete, & somno restituunt; expuentes verò, ob noctes insomnes, & evacuationem conti-

nuam, eas nedum, non inſtaurant, ſed continuo deperdunt. Jure igitur inſignis ſui temporis Practicus Rhodius tradidit, Mercurium dulcem dejectorium, divinum pene eſſe auxilium contra luem, *eximio medendi compendio, & ægrotantium levamine* (*a*).

XIX. Nunc reſtat ſolummodo, ut hanc methodum obſervationibus confirmem. Antequam vero id præſtem, prius objectionem quamdam ſolvere debeo, quæ tamen potius verbalis, quam realis eſt. Dum Catharſis inſtituitur, lignorum, vulgo ſudoriferorum decoctum pro potu exhibetur. Sed alvus fuſa, & cutis ſpiracula aperta adeo inter ſe pugnant; ut dejectio ſudorem tollat; ſudor dejectionem ſupprimat. Quæ iſta methodus, itaque, per quam motibus oppoſitis, (quo nil pernicioſius) ægri curantur? Dum ſudoriferorum actio ad peripheriam (ita enim ajunt) morboſam materiem propellit, & cathartici ſtimulus eamdem ad centrum vi trahit; illud, ut ſequatur neceſſe eſt, quod, neque uni, neque alteri parens remedio, neque per cutim, neque per alvum ejciatur. Ita, ſi per horizontalem, ac perpendicolarem directionem grave aliquod trudas; cum neque uni neque alteri impreſſioni parere poſſit, utriſque ſe accommodat, ac per Diagonalem auffugit. Bona verba quæſo. Docuit jamdudum Hippocrates

(*a*) Centur. 3. Obſerv. 84.

pocrates (*a*) corpora purgare volentem, oportere prius ea fluida facere. Lignorum decoctum, non ad ſudorem proliciendum exhibetur, ſed ad concreta Gallica fluidiora reddenda, ut facilius cathartici ſtimulo pareant. Hac de re Fracaſtorius elegantiſſime ſuo more:

Ante tamen ducenda para concreta reſolve,
Et craſſa attenua, & lentore tenacia frange (*b*)

Hinc, tantum abeſt, ut per decoctum Lignorum debitus dejectionum numerus ſuccidatur, vel alvus fluens ſupprimatur; quin potius ita facilior catharſis evadat. Motibus igitur appoſitis methodo hac ægris non medemur, ſed iis, qui ad eumdem finem conſpirant; Quemadmodum quiſpiam motibus oppoſitis pondus aliquod non diſtraheret, ſi interim ac illud auſtrum verſus urget, nodos, quibus a Septentrione colligatur, reſolveret. Poſt hæc, ſi alicui adhuc a centro, & peripheria corporis objectio petita placeret, ſenſuum teſtimonium, Obſervationes nempe e probatis autoribus, afferam. Riverius (*c*) ait: *Lues Venerea a me curata eſt in pluribus decocto, ex ſudoriferis, & purgantibus per viginti dies uſurpato. Si hæc non ſufficerent, ad frictiones ex unguento Mercuriali veniebam.*

(*a*) Aphoriſ.
(*b*) De Syphill, l. 2.
(*c*) Obſerv. Cent. 1. 78.

Multi media hyeme, hoc solo decocto curati sunt, quibus diata sudorifera administrari non poterat, ob aeris inclimentiam. Allatæ objectioni, dandus locus in cura acutorum; nauci ea vero facienda est, ubi omni moline, & qua data porta, ut in Gallici cura, morbosa materies ejcienda est. Ob id recte Sylvius de le Boe (*a*): *imperite, ac inepte intestinorum fistula habetur pro corporis centro, cutis autem pori pro ejusdem circumferentia ...... Non tantum arguit ratio, sed rerum probat experientia, qua tum alios, tum me quoque confirmavit, cum optimo successu, & magno ægrorum commodo expelli eodem tempore, ac medicamento humores in corpore peccantes, tum per vomitum, tum per secessum, tum per sudores, ac urinas.* Empyrius quidam mihi notus, suffumigiis lue infectos curabat, a quibus simul Ptyalismus, sudor, enormes vomitus, copiosæque dejectiones eccitabantur. Ex recensione autoris Chemiæ Celeberrimo Boerhaavio adscriptæ (*b*) mulier Gallica maximas sibi comparavit divitias lue infectos curando per Turbith mineralis exhibitionem, a quo ægri incidebant in diarrhæas, vomituse, qua cura multi quidem moriebantur, sed ob violentiam remedii; plerique vero viribus satis firmis

(*a*) Apud Bonet. in Merc. compital. l. 19. ad titul. vomit. 8.

(*b*) T. 2. Process. 7. §. 3.

firmis instructi, per quas tantorum motuum violentias ferre poterant, sanabantur. Apud Horstium, insignis habetur historia (*a*) luis gravioris Mercurialibus dejectoriis, & decocto sudorifero cum sulphure aurato diaphoretico persanatæ. Si quæ attuli, tametsi, ut mihi quidem videtur, & rationibus satis consona, & Observationibus firmata, Praxi non responderint, *turbata volent, rapidis ludibria ventis*. Sin vero contra se res habent; methodus, quam illustrare conatus sum, in usum revocetur; Humanius etenim, æquiusque est, cum æque tuto possumus, ægros per viam mitiorem curare; quam ad curationes forsam celebriores reddendas, eos methodo thædii, dolorisque plenæ, nec raro periculi experti subiicere. Etenim profecto ea est Mercurialis salivatio, ut quando cum spe salutis proponitur, Servi Plautini verbis non injurie infectus reponere possit: *apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ advenit*. Nunc ad Observationes.

XX. Vir pusilæ staturæ, sicciorisque corporis habitus, atque hirsutus; cum quandoque leviore gonorrhæa infectus, morbum, suasu Chirurgi, qui illi medebatur, ut non virulentum curasset; post annum corripitur duriore tumore ad partem colli sinistram, qui quorumcumque remediorum vim alusit: levio-

(*a*) 7. Observ. 10.

levioribus etiam artuum doloribus excruciabatur. Cum tumor quotidie crefceret, fuffocationemque minitaretur, a Docto Danieli Jaderæ Medico, hydrargirosi fubiicitur, ope Mercurii dulcis excitatæ. Cum fummo vitæ difcrimine ftadio falivationis emenfo, tumor folvebatur; fed maxillarum fynthefis ita inde ferruminata eft, ut poft feptem a falivatione menfes, os aperire vix poffet, licet adhuc non omnino levis falivatio perduraret, quæ ægro non parum thædii afferebat. Aderant etiam leviores fcapularum, brachiorumque dolores, ob quos, partes hafces difficulter muneribus fuis fungebantur. Quæ ad motum difficultas cum doloribus, fed non magnis, flante Auftro, ingravefcebat. Cum itaque Pulcinium appuliffet, hicque loci domicilium pofuiffet, ab me medelam expoftulavit. Mercurio dulci dejectorio rem ipfe aggredi inftitui; præfcripfique pillulas ex granis XV. Merc. dulc., Diagryd. viij, & f. q. Therebynth. non lotæ. Verum dictæ pillulæ primis vicibus, vix alvum folvebant; quapropter acuta dofis Mercurii ad ℈ j, Diagryd. ad gr. X; loco vero Therebynth. fuffectum Extructum Panchymagogum Crollii. Inde alvus aliquoties per diem folvebatur. Poft octo dies catharfi affidue impenfos, os poterat melius diduci, & Ptyalifmus parcior fiebat. Tridui intervallo interpofito, repetebatur ad

fex

ſex dies catharſis, tuncque denuo bidui vacatio data, cum bonis ægri rebus, quæ tandem ſalvæ omnino erant, poſtquam cathartici in uſu per alios octo dies perſiſteret. Remanſit tamen, & adhuc remanet ad exſpuendum proclivitas. Curationis tempore decoctum Guajari, & Saſſafras cum paſſulis ex aqua pro poto hauſit, & quotidie a prandio, veſtibus (licet tempus anni æſtivum eſſet) hybernis munitus, domo exiit. Victu uſus eſt mediocri, ſed non exiccante.

XXI. Robuſtus, ſucci plenus, ac toroſus Decurio, ab aliquot diebus febri laborabat noctu gravius infeſtante, cum tumore dolorifico oppido in genu dextero. Alvus illi ſubducta cum Electuario lenitivo Sennato, & tartari cremore; deinde pulvis ſudorificus exhibitus ex ſemine C. B., & Origani, ſed ſucceſſu irrito; ſiquidem, vix ſudabat, parum dormiebat, cibos reſpuebat, dolorque genu tumidi eum noctu immaniter infeſtabat, licet emollientes, & diſcuſſentes fotus aſſidue apponerentur. Cum itaque diligentius externam morbi cauſam ab eo ſciſcitarer, confitebatur, ſe gonorrhæa cum urinæ ardore laborare. Tumori itaque Emplaſtrum de ranis cum duplici Mercurio ſuperdedi, alvumque per octo continuos dies pillulis; ex Merc. dulc. gr. xxiiij, Diagryd. xij., cum ſ. q. Therebynth. non lotæ, duxi, nihil de cibi tenuitate

 remit.

remittens, sed panatellis solummodo ægrum nutriens. Pro potu decocto Juniperi, & radicis Bardanæ ex aqua, utebatur, A febri, a tumore, a gonorrhæa perfectissime convaluit. Puto, opus citius exactum, ob victum tenujorem, cui ægrum addixi.

XXII. Mulier lue infecta, puellum peperit pustulis, & ulceribus in variis partibus affectum, qui curatus fuit præcipitato albo ad gr. ij, vel iij exhibito cum saccharo, & lacte, singulis, aut alternis diebus per mensem integrum. Incæpta est remedii exhibitio XV. nativitatis die. (Samuel Formius Observ. 36.)

XXIII. Puellæ duæ, major vix attigerat quintum; minor vero, tertium ætatis annum, laborabant lue per contagium suscepta, cum ulceribus multis in ore, & pudendis, nec non pustulis, & fæda scabie per totum corpus erumpentibus. Frustra exhibitum fuerat decoctum Guajacinum per mensem integrum. Vocatus ego intra quindecim dies puellulas curavi Mercurio præcipitato albo, exhibendo singulis diebus majori puellæ gr. vj, minori verò gr. jv, augendo tamen utriusque dosim juxta operationem, quæ talis fuit, ut utraque singulis diebus, bis, aut ter alvum deponeret, nec vomitus ullus, nec Ptyalismus unquam sequutus est. Perseverabant per dictum tempus in usu Bocheti. (Sim. Jacoz Obser. 16)

XXIV.

XXIV. Curatus eſt a me puer V. annorum præcipitato albo ad gr. iiij exhibito ſingulis diebus per XX. dies, cum panatella. Per inferiora tantum purgabat, neque ullus unquam ſequutus eſt Ptyaliſmus. (Samuel Formius Obſerv. 51.)

Contigit, ut quoque hoc anno 1736 de Cathartica Mercuriali methodo contra Veneream luem, periculum facerem. Res ita ſe habuit.

Nobilis vir, triginta circiter annorum, laxioris fibræ, ſuccoſoque ſatis temperamento præditus; caſtra ſequutus, ſtrenuus potator, ſputatorque aſſiduus, gonorrhæa virulenta ſæpius infectus fuerat. Hyeme ineunte, ſub uſu pillularum, neſcio quarum, & vini medicati hydro-cathartici, inter millena victus errata, Gonorrhæa ſiſtebatur, remanente prope frænulum dolore ad penis erectionem. Tumor inde ſub mento exortus, atque ulcera cruſtoſa excitata, faciem, mentum, collum, pectus, aurem ſiniſtram, cubitos, ſuramque dextram occupantia. Quæ ſuram fædabat (ex æquo decidens ante aliquot annos, pede hoc luxatus fuerat) erat ſcutati Veneti magnitudine: circumcirca inflammatione cingebatur; dolebat; tumor in circuitu excitabatur, puſque ſub cruſta latitabat. Quæ collum obſidebant, erant magnitudine aurei Veneti, ſed craſſiores, & elatiores. Curæ itaque meæ tali in ſta-

tu

tu se committere voluit, ob idque Pulcinicum appulit. Decembri itaque crescente, ita illi Medicinam facere institui. Victum, ante omnia, ad tenuen accedentem imperavi: pro potu tale decoctum hausit.

℞ *Ligni Guajac.*
Lauriri. } an. ℥ ij.
Juniper.

Aq. Font. lib. xvj. *Infund. per noctem ad cineres calidos. Mane bull. ad remanentiam* ℔. xij. *In fine ebull. add.*

Cinamoni in frusta conscis. ʒ iij.

Hujusce decocti spuma colligebatur, eaque crustæ obducebantur. Venter primo copiose detersus ℥ v. s. potion. solut. Magistr. Inde ad 24. continuos dies nulla vacatione interposita, quotidie tales pillulas sumpsit.

℞ *Merc. dulc. gr.* xvj
Diagryd. sulphur. gr. vj
Extrac. Panchymag. Crol. ℈ j
M. F. pillulæ iiij *aur.*

Prima die absque ullis doloribus, alvus decies desedit. Die secunda, sexies soluta. Noctu sudavit. Tertia, minores binæ crustæ, quæ faciem fædabant, decidere: sexies die quoque hac dejecit. Quarta quoque, & quinta idem dejectionum numerus. Hisce noctibus non sudavit: frigus admodum asper. Usque ad diem decimam, non satis placide dormiit. Tres aliæ crustæ deciderant: sexies, aut octies quotidie dese-

desedit. Decima nocte, cæpit bene dormire: dolor penis evanuit. Decima quinta omnes crustæ deciderant, ea excepta, quæ aurem inter Helicem, & anthelicem occupabat. Deciderat quoque custa suræ, ulcere non profundo, sed lato remanente, cui tali unguento medebamur.

℞ *Unguenti de Ceruſ.* ℥ j. ſ.
Thuris } an. ʒ j. ſ.
Myrrhæ
Succi ebul. ʒ j.
Merc. crud. ℥ ſ.
m. f. unguentum.

Decima ſexta, decidit quoque crusta auris. Decima octava; plenius edit, ſemelque tantummodo dejecit. Aliqua gingivarum tumefactio, & glandulæ jugulares turgidulæ. Patiens tamen id refundebat in ſibi peculiarem indiosyncraſiam, per quam, vel minimo percepto frigore ita afficiebatur. Verum copia ſputi; gingivarum, gutturiſque dolor; ſanguinis ramenta ex gingivis ſtillantia, ſatis oſtendebant, unde ſalvatio procederet. Abicimus itaque unguentum ante deſcriptum, ejuſque loco Emplaſtrum Diapalma ſuperdedimus. Die 24. ab uſu pillularum ceſſavimus, cum nondum ulcus ad cuticulam perductum fuiſſet. Die 26. ſanatum erat. Salivationem, quæ nimium copioſe procedebat bis Potione ſolutiva magiſtrali exhibita, cohiberimus. Pauca grana Mer-

Mercurii, turbas hasce excierat; majusque incommodum, majorem virium jacturam, nutritionisque deperditionem passus est paucis diebus, quibus Ptyalismo exercitus fuit, quam per assiduam 24. dierum Catharsim, Vereor, ne si salivatoriæ methodo illum commisissem, vitæ discrimen subiturus fuisset. An assidui sputatores male hydrargirosi subijciuntur? Operæ prætium est, ut id observetur. Die trigesima, cute detersa, hilaris, ac sanus, æger meus domum rediit.

FINIS.

ASTH-

ASTHMATIS CONGENITI PALLIATIO.

OBSERVATIO IX.

L.

NObilis mulier, cujus Fratres tabidi obiere, atque altera ſoror Monialis Aſthmatica vitam traduxit, a prima Infantia aſthmate laboravit. Jam plenis nubilis annis, nupſit cum ſpe convaleſcendi, ſed irrita; ſiquidem ad anni præſertim τροπάς ſpiritum ſemper difficilem duxit. Cum ad quadrageſimum annum pertigiſſet, melancholica, & lurida facta; nedum ad ſtata anni tempora; ſed ad coitum; ad menſium fluxum; ad auram nocturnam; & quotieſcumque Auſter dominaretur, aſthmate corripiebatur. Morbo uſque invaleſcente, media æſtate, Sole dies calidiſſimos, ſiccoſque referente, aſthmate (quod nunquam anteactis annis factum fuerat) denuo corripitur, a quo ferme aſſidue uſque ad mediam hyemem laboravit. Sternutamento incipiebat aſthma, & ſternutamento diſſolvebatur. In Paroxiſmi vigore vox ſtridula, & gracilior fiebat, ſibilumque aerem trahendo, edebat. Signum Aſthmatis imminentis

nentis erat fames Serotina, qua pridie, quam asthma accederet, fæmina, cæteroquin paucissimi cibi, capiebatur. Quæ Asthmate correpta expuebat, tenuja sed summe viscida erant; extra verò Paroxismum crassa, & compacta excreabat. Tali igitur tempore in auxilium vocatus, ut expectorationem promoverem, materiem ad pulmones decubituram, alio diverterem, fibrasque irritatas demulcerem; ablegatis laxantibus, quibus ad nauseam per seniorem Medicum exercita erat; prescripsi

℞ *Styb. Diaphor.*
Sal. Volatil. Succin. } an. ℈. ſ.
Spermat. cet. ʒ. ſ.
Ol. anisor. stillat. gutt. ij.
Extract. heder. terres. q. ſ.
m. f. fol. iiij. *aur.*

Hisce horis medicis, mane, & sero sumptis, superbibebat decoctum ex brodio foli. Malv. Viol; Erysim, radicum Angelicæ, atque Imperator; florumque Papav. Rhæad. Mirum! quantum emolumenti ab hisce ægra cæperit; siquidem, vel sub primis dosibus crassa expuens, copiose mingens, ac dejciens (alvo antea erat solidiore, forte ob catharticorum abusum) cæpit melius habere; primoque per octo dies, deinde per plures, cum magna sua consolatione, & mea laude ab asthmate im-

immunis degebat. Quod cum denuo accederet; per dictorum remediorum vim, crassa, viscidaque materia excreta, paucas intra horas solvebatur. Observavi, quod etsi nivosa, & algida tempestas mulierem asthmaticam non redderet, Auster, vel leniter flans illam respirationis difficultate mulctaret. Tunc cogitare cæpi, quod si remedium aliquod invenire possem sumptis indicationibus satisfaciens, quoque ægra absque repugnantia, & nausea uteretur (a bolis siquidem, & decocto, tanto cum profectu præscriptis abhorrebat) cogenitis morbis radicibus intactis, morbosi effectus tollendi forent. Animo itaque subiit tinctura sulphuris Willisiaria quam more Rosolj, ad unciam semis jejuno Stomacho sumendam præscripsi. Quid referam? Hoc remedio constanter usa, per quinque annos ab asthmate immunis vixit; ac sui juris facta, vel Austro flante nocturnæ auræ se exposuit; personata incessit; ad Mensium fluxum nihil incommodi sensit, Venerisque maritalibus præmiis (semper tamen infæcunda) absque ullo amarore potita est; donec febris mali moris, ut mihi ab ejus marito postea relatum est, ante tres annos optimam mulierem, ævoque longiore dignam, superis daret.

II. Si qui ex morbosis effectibus; suam nobis primævam originem, remotasque causas obtegunt, ii sunt certe, quos sinistris alitibus,

bus, vel hæreditatis jure, vel congenitos e matris ſinu nobiſcum ferimus. Nihil tam abditum in univerſa Pathologia eſt, quam horum morborum ſemina; cum licet gradatim ab iis, quæ viſuntur ad non viſa, quantum potes ratiocinio aſcendas; modo remotiora, modo proximiora ſuis cauſis effecta ſolummodo detegas; id vero, quod primæ cauſæ rationem habet, vel acutiſſima mentis acie, ſummiſque ingenii viribus inſtructus, nunquam contingas. Propterea, quicumque in cauſis hiſce detegendis ſtudium ſuum ponere vellet, mihi videretur profecto viribus mentis abuti; quibus potius utendum in morboſorum effectuum conſideratione utpote ea, quæ non parum opis ad dictos morbos, niſi averruncandos, ſaltem palliandos conferat. Si enim horum effectuum naturam dignoſces, iis uti poteris præſidiis, quæ tametſi cauſam ab agendo non abducant, ejus tamen affectus naſcentes, vel tollant, vel ita corrigant, ut nocere non poſſint. Sic, ſi quis noxiam virentibus ſatis, arboris umbram arcere velit nolit autem, aut nequeat arborem vel radicitus extirpare, vel a foliis ferendis quoquomodo avertere; ſat erit, ſi prout explicari incipiunt ab umbriferis ramis naſcentia folia divellat. Quæ res, cum ſummæ utilitati humano generi futura ſit; nunquam ſatis miror, cur eam Clinici ſicco, penè di-

xerim

xerim, pede pertranſeant, ac de morborum per traducem acceptorum, vel congenitorum, qui incurabiles audiunt, palliativa curatione tam pauca habeant; præſertim cum ad hujuſmodi ſtudium Hippocrates Medicos excitaſſe viſus ſit (*a*) cum tradidit: *incurabilia cognoſcere oportet, ut quam minime lædant*. Scio quidem a diuturnis, atque incurabilibus ægritudinibus conflictatos thædere ad remediorum, quibus dicti morbi palliandi forent, continuum uſum. Sed id, cui dictis in caſibus ſtudere deberent medentes, eſt Medicaminum delectus, atque elaboratio; ut ea eligantur, quæ abſque apparatu medico familiaria, non minus, ac The, vel Coffe potus reddi poſſunt. Si quis Podagricos, Nephriticos, Epilepticos inſultus ita præcavere ſciret, non ne jure merito, vel Numini alicui, ut de Medico Philoſopho dixit Hippocrates, eſſet æquiparandus?

III. Congenitæ in Nobili muliere cauſæ morboſum effectum, qui cauſæ proximæ rationem ſumebat, putavi eſſe lentiorem, tenacioremque lympham, ſeu pituitam, quæ glandulas Laryngis, Tracchææ, Bronchiorumque obſtruendo, & tumefaciendo, aeri illac tranſituro obicem poneret. Ita vero, ut ſentirem, tum antecedentia, tum conſequentia faciebant. Si enim ex cauſis manifeſtis ante-

(*a*) De Articul. tex. 68.

cedentibus Austri flatus, auramque nocturnam consideremus; cum ista humefaciendo, transpirationemque impediendo, nedum catharralem materiem in cruore progignant, sed hanc ob nativam Pulmonum diathesim eo illapsam, ibi ulterius stagnare faciant, crassioremque reddant, aerearum viarum glandulas immediate afficiendo, dictarum glandularum eam tumefactionem causabantur, quæ respirationis difficultatem induceret. Tenacitas vero eorum, quamvis tenujum, quæ mulier meis nondum usa præsidiis expuebat; crassiora deinde, quæ remediis expectorantibus usu, cum euphoria, & morbi solutione excreabat; satis abunde ostendunt, ab hisce crassis, lentisque asthma produci. *Oportet* enim ex Hippocrate (*a*) *causas unius cujusque ea putare, quæ cum adsunt, talem modum fieri necesse est, cum permutantur in alind temperamentum, cessare.*

IV. Coitus vero, mensiumque fluxus, non morbi, ni fallor, effectrices, sed occasionales causæ fuere. Cum coitus sit vere parva Epilepsia, qua universum nervosum genus, dulce quidem, sed tamen convellitur, & extimulatur; fieri non potest, quin universa humorum massa novis motibus cientur, succorumque ab ea abscedentium separationes aliquam alterationem patiantur. Porro ex quotidiana obser-

(*a*) De veter. Medic. tex. 33.

observatione constat, Anomalorum motuum effectus, partibus in illis potissimum manifestari, quæ aliquo vitio laborant, seu præternaturali aliqua diathesi affectæ snnt. In nostro igitur casu, Trachæales membranæ, & glandulæ potissimum afficiebantur, ibique stimuli ratione crassior lympha (etenim extra Paroxismum crassioribus sputaminibus diflebat hæc mulier impacta, atque a fibrarum crispaturis detenta, aeri Pulmones ingressuro obicem ponebat, respirationisque difficultatem causabatur. Paucis mutatis, eadem de mensium fluxu dicenda; non enim, vel omnino recte valentibus fæminis Menses accedunt, sine aliqua universi corporis alteratione. At magnus Hippocrates, Asthmaticarum affectionum incrementa, & progressus, perbelle, omninoque Mechanico modo explicuit (*a*) *Præ multo autem ac denso spiritu, valde viscosum citra concoctionem fit sputum, & egressum fieri prohibet.... Atque sci mutuum opem ad malum inter se conferunt, dum, & sputum impactum, densum spiritum facit, et hic cum densus sit, sputum insuper viscosum facit, & lubricum fieri, & elabi impedit.* Pulmonis prælum, contra ac putavit Helvesius, utque videre est apud Doctissimum Michelottum (*b*) liquida premit, miscet, solvit, motuique

 aptio-

(*a*) De ration. vict. in acut. tex. 8.
(*b*) In Epistol. potissimum ad Fontenell.

aptiora reddit: id vero præstare non potest; nisi aer ejus penetralia ingressus, vesciculas pulmonales dilatet. Cum vero aeri aliquod obiiciatur impedimêntum, non potest, ut semper cum magno magistro loquar, *intra ferri cogitur autem cito extra ferri*. Ob id non se explicante Pulmone, liquida non premuntur, neque solvuntur, sed crassiora fiunt, sicque *præ multo, ac denso spiritu valde viscosum fit sputum*, taleque redditum, *densum spiritum* facit, ut densus spiritus sputum lubricum fieri, atque elabi impedit. A retento itaque sputo, atque a fibris crispatis exiliore glottide facta, ejusque rima a glandularum circum circa consitarum protuberantiis inæqualibus exasperata, gracilior, stridulaque vox fiebat; spiritusque illac transeundo, sibilum, ut per fibrarum rimulas assolet, edebat. At cur morbus sternutamento incipiebat, & sternutamento dissolvebatur? Stimulus, quo ab appellente sive præternaturali, sive copiosiore lympha membrana glandulosa Trachææ percellebatur, Schneiderianæ mucosę continuæ narium membranæ comunis fiebat. Ibi irritato *secundo* ramo paris quinti nervorum cerebralium, qui cum sexto pari conjugationem intercostalem constituit; accedentibus quoque irritamentis vagi paris in larynge, & Pulmone; musculi respirationi dicati ad quos dicti nervi obeunt, eo motu percellebantur, qui ae-

lem vi, ejectioneque violenta trudendo, sternutamentum efficit. Cur vero in fine morbi motus idem fieret, non ita facile explicatu est. An membranæ viventes dum cessante stimuli actione laxantur, tremoribus aliquibus tremunt, ut chelium fides, per quos musculis respiratoriis in casu illi motus contingerent, qui eos in sternutationis motum adigerent? Sic neque pronum est explicare; cur insolita fames Proxismi esset prænuncia. An crispati nervosæ Ventriculi tunicæ signum erat illius crispationis, quæ membranis Trachæalibus inducebatur? An succi gastrici exaltati indicare poterant, sales quoque sanguinis quibus Trachæalis lympha cogi posset, exaltari, ut optimus Willisius (*a*) evenire putavit in casu formosæ mulieris hæreditaria periodica cephalalgia laborantis; quæ pridie morbi accessionem, vesperi valde esuriens, cænam uberiorem cum appetitu famelico, ne dicam canino, vorabat? At hæc nullis, nisi hypotheticis fundamentis innituntur; quibus uti in phænomenorum morbosorum explicatione, idem esset, ac peccare contra ultimam ex regulis a me in Præfatione latis, qua protuli, pro ratiociniis Medici fundamento nil nisi data, & certa ex Anatomico, atque experimentali penu esse sumenda, atque ab hypothesibus semper absti-

(*a*) De anim. brutar. P. 2. c. 2.

nendum. Sagacioribus itaque effectuum a me non explicatorum causas rimandas relinquo.

V. Circa morbi Idiam, me minime hallucinatum fuisse, juventia satis ostendunt. Cum enim hæc vi pollerent, crassiora, & tenaciora solvendi; expectorationem promovendi; morbosas fæculentias a pectore derivandi; fibrasque demulcendi; & mulierem facile a præsente morbo sanarunt, & imposterum assidue, quotidieque usurpata, a futuro immunem reddiderunt. Cum verò in operibus Willisii suæ sulphuris tincturæ descriptio minime prostet, rem medentibus utilem me facturum existimo, si hujusce remedii ad plura utilissimi descriptionem subnectam.

℞ *Vini Hispanic.* ℔. j
Flor. Sulphur. ℥. ij.
Sal. volatil. C. C. } an. ℈ ij
Succin. }

Stent simul in digestione per quatuor dies; postea cola.

Ut hæc maxime juvabit, cum tenax catharrus glandulas obstruens humorale asthma producet; sic contra quammaxime oberit in Asthmate sicco, cumque ab acrioribus sanguinis spiculis primario agentibus convulsivum asthma exorietur.

VI. Quispiam hic me impetere ita posset: Asthma hoc pro humorali habuisti: interim sæpius fibrarum spasmos in medium adduxisti, &

& remedia, irritatas fibras demulcentia, ut ais, in usum revocasti: sic quasi centonem consuisti convulsivum asthma humorali commiscens. Quæ est ista in piscem desinens *mulier formosa superne?* Mihi asthma humorale est, cum efficiens causa est obstructio glandularum internæ Pulmonalis membranæ a pituitoso humore, crassoque. Convulsivum vero, cum ejus primaria effectrix causa est convulsio, seu strangulatio Trachææ. Verum, sicuti spasmus, & strangulatio Trachææ, lympham Pulmonicam, nulla cæteroquin præternaturali crassitiæ, viscositateque donatam, crassiorem, tenacioremque efficit (spiritus enim densus sputum viscosum facit) sic tenax, & viscosa pituita Trachæam obsidens, & respirationem impediens, aliquam fibris distentionem non inducere non potest. Etenim, vel solus nisus, quem difficulter respirando animal exerit, illis irritamento est, ut convulsorio modo afficiantur. Ob id in asthmatis quoque humoralis Paroxismo, dum pituitæ anacatharsis promovetur, crispatis etiam fibris demulcendis studendum est. Id tamen iis præstetur, quæ sputum supprimere non valent, qualia sunt leviora anodyna, atque mollientia, quæ *spirituosis*, & dissolventibus sociata, perbelle utramque absolvunt paginam, votoque respondent. Hinc nosci poterit, & cur fibrarum crispaturas in

medium adduxerim, & quare remedia crispatas fibras lenientia, exhibuerim.

VII. Verum, an bene purgantia in Asthmatis Pectorei humoralis Paroxismo, ut a plerisque fit, exhibentur? Id cum bonis ægræ meæ rebus ab seniore medico præstitum certe non est, Baglivus ex sua, & Ettmuleri sententia, in tussi pectorali (*a*) purgantia damnat: Galenus (*b*) tradidit Thoracem, & Pulmones per tussim solummodo expurgandos esse. Celebris Crato (*c*) scriptum reliquit, se re ipsa comperisse, tutissimum esse in morbis Pectoris a Medicinis purgantibus abstinere. Profecto, quod si naturam morborum medicatricem imitari velimus, raro hæc admodum morbos pectoris per alvi fluxum ad sanitatem perducit. Dico raro, quia Galenus (*d*) Meminit vomicæ Pulmonaris per alvum feliciter expurgatæ, ipseque vetulam Peripneumonicam lethaliter decumbentem, alvo sponte fusa sanatam, vidi.

VIII. De venæ vero sectione in Asthmatis Paroxismo celebranda, quid dicendum? Ut hanc improbet Clar. apud Veronenses medicus, Rotarius, asserit in suis Epistolis, nil aliud pro causa asthmatis cognoscendum, quam

(*a*) De tussi
(*b*) Ad Glauc. l. 2. c. 2.
(*c*) Apud Scholzium Cons. 4.
(*d*) 6. de loc. affec. c. 4.

quam lentus humor Pulmonalibus glandulis impactus. Ad quid, ait, ſanguis inſons detrahendus? Ita male delirantibus Regibus, plectebantur Achivi. Quod vir iſte Medicam Praxim ad antiquæ utiliſſimam, nitidiſſimamque ſimplicitatem reducere velit, & collando, & approbo. Sane artis præcepta a quibuſdam Logodædalis Scriptoribus, ita argurationibus, tricis, hypotheſibus involvuntur, ut potius Dialecticæ, quam Medicæ Scholæ conveniant. At pace tanti viri dixerim minus vereor, ne dum exoticis ornamentis, quibus luxurioſe defluit, Graviſſimam Matronam, Medicinam expoliat, ea quoque illi detrahat, quibus non ſine decoris ammiſſione carere non poteſt. Non ſola glandularum Pulmonalium obſtructio aſthma cauſatur, neque intra Bronchia ſolummodo quæ aerem a facili in veſiculas ingreſſu arcent, ſtabulantur, ut male putabat Maſſarias (*a*) contra avicennam. Sanguinis fluxus impeditus, vel ipſius cruoris vitio, vel vitio vaſorum coarctatorum, aut compreſſorum, non raro, ut cauſa proxima, reſpirationis difficultatem inducit. Quandoque in ſanguineo temperamento præditis, vel Trachææ ſolus pituitoſus infarctus, ita per Pulmones ſanguinis curſum comprimit, ut morbus, ratione effectus ſanguinis miſſionem, nedum poſcat, ſed flagitet. Nihil

(*a*) Apud. Sennert.

hil enim citius liberum illi circuitum per Pulmones conciliat, ex probatissimis Practicis, quam venæ sectio. Ego virum Orthophnoicum primam ferme cum pulsu exilissimo agentem, vena secta, vel e vestigio sanitati restitui. Puer quoque quinquennis, cum hydropis suspicione, orthophnoicus, atque a suo Medico pro desperato habitus, me sanguinis missionem præscribente, pancratice valens vivit, cujus cum duriorem cruorem ejus ordinarius Clinicus inspexit, sententiam mutavit, venamque denuo pertundendam, quod præstitum fuit, ingenue edixit. Cum igitur; sive ex Plethora, sive ex exili pulsu, sive ex faciei rubore conjici potest, sanguinem per Pulmonum vasa non libere fluere; tametsi crassior lympha faciat, ut Pulmones laborent, quidquid ajat Clarif. Rotarius, sanguis est educendus. Verum enim vero, si sensibus danda fides est, non sola crassior pituita, Pulmones, eorumque glandulas obstruens, asthmata inducit. Concretiones osseæ, lapidosæ, grandinosæ, arenosæ, Pulmonum cum Pleura coalitus, non raro difficilem respirationem reddidere. Talibus in casibus, an quæ lympham solvunt, indicabuntur? An non sanguini, sive per copiam, sive per motum turgescenti, transitus per arctata, & compressa vasa, vena secta conciliandus?

Hoc-

Hoechſteterus a ſanguine atro (*a*) Pulmones infarciente Aſthma excitatum vidit. Harwejus, & Schneiderus (*b*) a tranſitu ſanguinis per Pulmones impedito. Williſius (*c*) ſecavit juvenem aſthmaticum, ob venæ Pulmonicæ truncum prope inſertionem in cor lapideſcentem, per quem ſanguis, non niſi filo tenuiſſimo cordi inſtillabatur. Quid quæſo hic expectorantia, quid Mercurius valuiſſent? Quicumque hujuſcemodi aſthmaticis, labores cum vita producere velit; id, non hercle perdiſcoagulantia, ſolventia, in motum cienta, ſed per venam ſectam ſolummodo, præſtare poterit. Hypotheſes; Logomachiæ; ineptæ, atque Ideales diviſiones, utique a Medicina abijciem dæjat ſedulo curandum, ne vitium vitantes in contraria curramus, Præceptiſque generalioribus, quæ Ars Medicinalis vix recipit, nimis facilem Praxim reddere ſtudeamus. Licet hæc ad meam hiſtoriam proprie non pertineant, ea tamen obiter annotaſſe, non omnino inutile duxi.

(*a*) Apud Bonet. in *S*epulc. T. 1. ſect. 23. Obſerv. 19.
(*b*) Ibid. obſer. 10. 11.
(*c*) Pharmat. tation. Sect. 1. c. 2.

F I N I S.

NOVA

NOVA, ET RARISSIMA MENSIUM VIA.

OBSERVATIO X.

M

MUlier ex Insula Ladesta Ragusinorum ditionis, novissimis diebus, quibus Corcyræ nigræ morabar ad me ducebatur expetens consilium contra rarissimum morbi genus. Floridi temperamenti, hilaris, & perfecte valens antequam viro jungeretur; anno ætatis vigesimo nubit cuidam, & gravida fit. Prima hac vice, qua utero gerit, nascitur illi pone aurem sinistram supra Lambdoidæam suturam tuberculum pisi magnitudine, quod a muliere flocci factum, altera vice, qua prægnans evadit in satis notabilem molem excrescit. Tempore intra dictos partus medio, vix videbatur incrementum capere, cum tumido existente ventre, ac si tunc pabulum ipsi accederet, felicissime cresceret. Prout adolescebat hoc condyloma, parcius fluebant menses; quorum per loca naturalia efluxus tertio purperio exacto; omnino supprimebatur. Hoc tempore in fungiformem escreverat figuram; cum nondum

filio.

filioli; quem enixa erat, lactatione absoluta;
per superiorem carnei fungi umbellæ faciem
cœperunt stato tempore erumpere menstrua,
apertis ibi tribus foraminulis, quæ extra
menstruationis tempus erant inconspicua.
Nihilominis, tametsi ab utero non amplius
exiret sanguineus fluor, quarta vice fit ma-
ter, fungosumque sarcoma jam obtinet trun.
cum ultra quinque meos transversos digitos
longum, diametri duorum digitorum trans-
versorum, umbellamque tres meos transver-
sos digitos latam, Res visu fæda, similisque
ex parte tento asinino. A parte postica, &
inferiore trunci repit ad umbellam nigricans
vena, & veluti varicosa magnitudinis calami
scriptorii mediocris, & convexa umbellæ su-
perficies, quam brassicæ folio contegit mulier,
ichorem saniolum continuo plorat. Ab ulti-
mo partu, non amplius stata periodo exit
sanguis; sed quandoque bis, quandoque ter,
sæpiusque aliquando per mensem (septem ve-
ro menses ab novissimo partu excurrerant
tantam sanguinis copiam umbella fungi eru-
ctat, ut præ virium imbecillitate, & languo-
re Fœmina veluti mortua jaceat. Ejus rusti-
cus Maritus aranearum operibus sanguinem
sistere tentat, quem tamen comprimi potius
præ virium collabescentia puto. Cum quan-
doque illi ad manus aranearum telæ non fo.
rent, tabaci pulverem conspersit; a quo sævi

adeo

adeo distendentes, lancinantesque dolores in internis capitis partibus oborti sunt, ut parum absuerit quin ægra moreretur. Ab hisce nimiis sanguinis effusionibus, jam æreo colore facies fædari incipit, cum antea rosei floridique esset aspectus: quin adhuc non obscure apparent veteris vestigia formæ. Hypochondria, uterique regio mollissima se tactui præbent, nulla resistentia, tensione, aut dolore ibi occurentibus, atque muniis naturalibus adhuc optime fungitur.

II. Inter rariores, rarissima oppido mensium via! Perlegi utique apud scriptores ex oculis, ex inguine, e pede, e stomacho, e pulmonibus menses fluentes; verum quod natura nova sibi organa, qua hæc excretio perficeretur, pararet non adhuc apud quemquam mihi videre contigit. Inter hujuscemodi casus, quos legi, qui prostat apud Riverium (*a*) de Virgine, cui per pustulam in capite exortam, statoque tempore se se ad emmittendum sanguinem aperientem; fiebant menstrua, aliquo modo similis huic videtur, saltem quoad locum effluxus. Verum aliæ sunt in casu meo circumstantiæ; quæ, ut hunc ab altero haud parum diseminant: excrescentiam dico: tempus exortam: incrementi modum: inordinatas, quæ novissime successerunt denique, hæmorragias; sic ut literis inter ea, quæ rarissime

accidunt

(*a*) Prax. l. 15. c. 2.

accidunt consignetur, sibi haud immerito vendicare mihi videntur.

III. Historia itaque exarata, nunc mihi quatuor examinanda propono. Primum fungi exortum, & incrementum: sanguinis inde fluxum: tertio, quid mulieri a tali morbo timendum sit: ultimoque, an tuto exscindi potuerit.

IV. Antequam tamen quomodo condyloma hoc adoleverit exquiram, locum exortus noscere est animus; quem cum manu, vel oculis consequi minime datum sit, mentis acie, probabilibusque conjecturis assequi conabor. Etsi quilibet tumores, quaslibet corporis nostri partes obsidere possint, tota siquidem corporis substantia, si præscindas a primis terreis solidulis staminibus, cava, & vasculosa est, hoc est generis ejusdem; nihilotamen minus jure quodam, veluti sibi proprio, quidam tumores, quasdam præ aliis, corporis nostri partes, corripere solent. Cum ii, qui sub nomine apostematum veniunt, cuicumque parti adnasci videmus, eos tamen, quos schiprosos vocamus, glandulosum, quod dicitur genus, potissimum obsidere, quotidiana Praxis evincit. Sic ii, quos excrescentias appellamus (sive sarcomatosi, sive follicularas tumores audiant) membranaceis potissimum partibus adherrere, non difficili observatione, neque infrequenti auctoritate probare est. Utque ab universalioribus

ribus exordiamur; pedum verrucæ (sive Myrmecias, sive clavos eas vocites) observat Bonetus (*a*) quod subjecto periostio radices infigant. Cystiformes tumores a subjectis membranis tunicam, qua involvuntur mutuare, triplici observatione edoctus sum. Quod si peculiarius de fungiformibus excrescentiis sermonem instituamus; sæpissime a meningum occulto vitio hasce pullulare (quamquam & aliis partibus adnasci notet sennertus) asserit cum Hildano (*b*) meritissimus Bonetus (*c*). Huc facit observatio Vellisnerii heu ? (nimis propera morte nobis erepti, cujus tam cari capitis desiderio quis pudor erit, aut modus ?) Huc facit, inquam, Vallisnerii observatio (*d*) de fungorum sobole è meningibus cranio quoque divulsis, & in vase asservatis productorum; quas meningas post craniis trepanationem in fungiformem excrescentiam pullulare, adnotavit vir Generis Nobilitate, & doctrina clarus Marchio Landi (*e*). In capitis plaga cum cranii fractura, crassiorem meningem in fungum se producentem vidit Samuel Anhornius (*f*); fungosamque substantiam a dura matre ortum ducentem sarcomati adna-

(*a*) Sepulchr. l. 4. sect. 2. observ. 25. 55.
(*b*) Centur. 2. observ. 19.
(*c*) l. citat. sect. 2. ad observ. 2.
(*d*) In *Museo* Minervæ T. 9. p. 6. 1708.
(*e*) In supplem. ad Diar. literat. T. 3. artic. 6.
(*f*) Apud Bonet. l. citat. sect. 3. observ. 23.

adnatam, obſervavit Larcheus apud Severinum (*a*). Propterea jure merito Clariſſimus Scultetus adnotavit (*b*) quod ubi læſum, & fiſſum cratuum eſt, ſi fungoſa caro ſubcreſcat, certiſſimum ſignum ſit, niſi ſubſtantiam, ſaltem cerebri membranas contuſas, & laceratas. Ex hiſce omnibus obſervationibus, haud a probabili abhorret concludere: ſarcomatoſas excreſcentias, e partium ſubjectarum, quibus inſident membranis, ſui ortus principium trahere.

V. Hiſce tamquam probabili fundamento præjactis, externis ſolummodo capitis tegminibus, adnatum fuiſſe fungoſum ſarcoma huic Fœminæ minime puto; verum, vel a pericranio, vel a cerebri Meninge; quę ſicuti per ſuturas ad excitandum pericranium producitur; ita fibras, ac vaſcula ſenſui, nutritionique condylomatis debita, per Lambdoidæam ſuturam, cui fungus inſidebat, potuit impertiri. Huic meæ conjecturæ illud quoque non parum favere videtur; quod cum ad nimis large fluentem ſanguinem compeſcendum ob telarum aranearum defectum, maritus miſellæ aliquando Nicotinnæ irritantem pulverem conſperſiſſet; oborti inde in internis capitis partibus dolores, tantum ægram non enecarunt. Signo mihi haud obſcuro; quod cum dolentibus par-

(*a*) In lib. de abſceſſib. apud Bonet. l. citat. ſect. 2.
(*b*) In armam. Chirurg. Obſerv. 19.

tibus a tabaco nimium vellicatæ ſarcomatis ſentientes fibræ, immediate, ac primatio, ut dicitur, communicent. Ibidem verò aliquod a nativitate vitium adfuiſſe, quod a cauſis infra recenſendis in talem excreſcentiam pullularit, haud irrationabile eſt ſuſpicari. Nunc morbi ſede probabilibus conjecturis detecta, morbi ejuſdem exortum, & incrementum emucleemus.

VI. Ægritudines, quæ primis geſtationis menſibus gravidas mulieres corripiunt, *ex ſanguine menſtruo ſecerni impedito ob clauſum uterum, & fœtu tamen non potente hactenus in ſui incrementum eum abſumere, pendere*, magnus tradidit Medicus Boerhaavius (*a*). Hanc ſanguinis exuberantiam, nedum eæ mulieres notam faciunt, quæ & ſi ſanæ, ſanoſque fœtus edentes, Hippocrate etiam notante (*b*) primis geſtationis menſibus aliqualem ſanguinis fluorem e naturalibus locis patiuntur; ſed illæ quoque, quæ innoxium quotidie cruoris vomitum ex Scarſio (*c*) atque aliæ, quæ ſtillicidium è naturalibus locis uſque ad partum ſine naxa perdurans ex Pechlino (*d*) paſſæ ſunt. Ipſe Nobiliſſimam Matronam, ſanguinis ſeroſioris, acrioriſque noſco; cui, cum ſuperioribus impregnationibus men-

(*a*) Morb. Gravid. 1293.
(*b*) de nat. puer. tex. 4.
(*c*) Apud Bonet. in Med. Septentr. T.2.l.4. obſerv. 10.
(*d*) Apud eumd. ibid. obſerv. 9.

menstrua solitum primis mensibus servarent ordinem; novissima gestatione, ut mihi sæpe retulit, nedum ipsi, veluti vacuo existente utero menses fiebant, adeo ut nihil de graviditate suspicaretur; sed etiam septimo mense copiosam hæmorragiam passa est absque abortu, debitoque tempore puellam peperit, quæ contra Hippocraticum effatum (*a*) apprime sana, ante paucos annos in quodam Illustri Parthenodochio Religioni se vovit. Inde fit, ut hisce mulieribus sanguinis detractione optime consulatur; quamquam ex Coi (*b*) sententia antiquiorum Medicorum schola sibi persuasisset, mulierem, quæ ita curata esset abortum esse facturam. Quapropter mulieres illæ, quæ sanguine abundant, effectibus ab hacce exuberantia pendentibus, magis obnoxiæ sunt. Quod si sarcinam, qua data porta, natura non deponat, metastases humorum mirabiles consequuntur, ut in iis, quibus *menses viam non inveniunt* ex quotidiana praxi, & Martiano videmus (*c*). Dixi hanc sanguinis redundantiam eosdem producere effectus, quos *menses viam non invenientes* edere solent. Cum enim sanguis ad uterum appulsus, neque consumatur totus, neque ab utero exire possit, (in iis enim Fœminis,

(*a*) Aphor. 5. 60.
(*b*) aphor. 5. 30.
[*c*] Sup. tex. 3. l. 1. de morb. mul.

minis, quibus salvo fœtu menstrua gestationis tempore fluunt, non jam a menstruorum genuino fonte, quem cum Martiano (*a*) Hignoro (*b*) Granffio (*c*) Boneto (*d*) atque, ut unum pro cunctis afferam, cum magno nostro Morgagnio (*e*) uterum esse puto; sed è cervicis uteri hæmorrhoidibus exeunt) reliquum est, ut a vasis revehentibus in orbem rapiatur denuo, neque enim in uteri cavitate absque grume-factione, & putredine morari posset. Quod si ibi restitaret, morbi ex utero, & circa uterum orirentur, quemadmodum *in mensibus occultatis* seu, ut explicat Martianus, in uteri sinum utique delapsis, sed ob uteri, vel ipsius osculi vitium exire non potentibus, videmus. Falsæ siquidem graviditates, uteri hydropes, dolores, exulcerationes, atque id genus alia, in utero superfluum sanguinem stabulare ostendunt. Porro & si facile sit, quemlibet morbum a sanguine hoc ab utero reduce oriri; attamen facilimum est videre, nisi pars aliqua ex se debilis, & male sana ad se morbum trahat, caput maxime, & frequentissime infestasi. Quod ut in non prægnantibus furores, cephalalgiæ, morbi comitiales, resolutiones nervorum,

(*a*) Loc. cit.
(*b*) apud Bonet. l. 3. sepul. l. 3. sect. 35. ad observ. 1.
(*c*) de Mul. organ. c. 9.
(*d*) loc. citato
(*e*) Adversan. 1. 4. animadv. 27.

vorum, oculorum caligines, facies ſubtumidæ; ſic etiam in prægnantibus vertigines, melancholiæ, lachrymæ involuntariæ epileptici inſultus, omnia affecti capitis indicia, oſtendunt. Hanc ſanguinis ab utero reducis ad caput tendentiam, Latinus Hippocrates Celſus (*a*) notaſſe videtur, qui partes omnes morbis inde ortis obnoxias equidem pronunciavit, ſed hos ad caput potiſſimum tendere reſpexiſſe viſus eſt, cum dolores capitis a menſtruis non provenientibus primo loco, & peculiariter quidem annotavit. *Quibus Fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis accerbiſſimi dolores ſint, vel qualibet alia pars morbo infeſtetur*. Lommius quoque obſervationum per celebris ſcriptor inter ſymptomata præcipua retentorum menſium, capitis affectiones enumeravit (*b*) *ubi prætermodum, præterque ætatem retinentur, totum corpus fit grave, doletque caput cum gravitate pracipue anteriore parte*. Hic dolorem capitis anterioris noto: ex hoc enim, non de menſibus *in utero occultatis*, ſed de *viam non invenientibus* auctorem locatum fuiſſe conficio. Si enim de occultatis locutus fuiſſet, ex utero morbos exorientes notaſſet, juxta illud Hippocratis: *& non prodeuntibus ex utero morbi contingunt*. (*c*) Por-

S 3 ro ex

(*a*) l. 2. c. 7.
(*b*) obſerv. Medic. l. 2.
(*c*) aphor. 5. 57.

ro ex utero, omnibus Practicis adstipulantibus, non jam anterior capitis pars, sed occiput dolet. De dolore igitur ob sanguinis metastasim loquitur, ab sanguine factam in sinum uteri delabi non potente, in qua idyopathice, ut plurimum, partes afficiuntur, non vero sympathice ab utero, ut vulgus medicorum putat, male Hippocratici aphorismi auctoritati innixum; cum Cous senex, nunquam de retentis Menstruis a causa sanguinis interna verba fecerit, sed in uterum semper vitium refuderit. Quod clare patet, tum ex libro de sterilibus (*a*) ubi curationem tradens illius, cui menses non apparent, *aut pauciores*, *& per amplius tempus*, *& non sani*, *licet uteri stomacho recto*, *& molli*, *& sano*, *& probe habente*, *& in debito loco sito*; nihilominus uteri aliquod occultum vitium agnoscit, uterumque probe purgare præcipit; tum libro de superfœtatione (*b*) ubi ejusdem affectus, per specilla, fomenta, ac mollitoria curationem prosequitur. Cui Hippocraticæ Doctrinæ inhærens Clar. Tozzi (*c*) ait: *at vero in menstruorum suppressione defectus hic videtur omnino adscribendus utero*, *aut quia illabentem sanguinem non admittit* (en menses viam non invenientes) *aut illapsum excipit*, *detinetque* (en

menses,

(*a*) tex. 9.
(*b*) tex. 17.
(*c*) sup. 5. aphor. 57.

menſes, quos vocat Hippocrates occultatos). Quæ etſi haud vera ſem per exiſtimem, cum etiam a cauſa ſanguini interna ſupreſſio hæc exoriri poſſit, & de facto, quandoque exoriatur; an contra ſuppreſſos menſes optime ſemper agitur, dum incidentibus, deobſtruentibus, ad uterum impellentibus, agitur? Non ædepol, verum his nunc non eſt locus.

VII. Multiplici obſervatione hanc in gravidis ab utero ad caput tendentiam illuſtrare poſſem. Verum cum hos caſus apud obſervationum collectores facilimum ſit videre; ab iis ennarrandis ſuperſedebo, luculentumque, quod mihi contigit videre exemplum, ſolummodo afferam. Mulier Narentina, atrabiliaris temperaturæ, compotationibuſque indulgens; primis menſibus, quibus uterum gerit, fatua fit. Fœtu enixo, puerperiique purgamentis parce fluentibus, remanet Maniaco melancholica. A rudi gente a Lamiis credita divexari, ad Sacerdotes deducitur; a quorum uno aliquantulum naſutiore, pro digna, ut erat, quæ Antyciram navigaret, habita, ad me mittitur; eamque inſperato, ac feliciſſime, liberaliore e brachio, pedeque ſanguinis miſſione, nihil obſtante pulſu tenui atque exiliſſimo, tempore eodem celebrata, acrioreque cathartico, ſanitati reſtitui, ſcienſque, ac prudens Naronam rediit. An non in muliere ob atrabiliare temperamentum tali

morbo obnoxia, sanguis a vino excalefactus, cum per uterum exire non posset, metastasi ad cerebrum facta, deliræ affectionis causa fuit? Verum quid opus pluribus? Cum etiam in naturali statu habita molis ratione, major sanguinis pars ad caput, quam ad reliquas corporis partes deferatur, ex Malpighio (*a*) & ramorum arteriosorum ad caput reptantium contemplatione; si sanguinis copia augescat; talis copiæ augumentum magis in capite, quam in aliis partibus manifestari debere, mihi videtur. Hæc igitur, ni fallor, causa est, cur tam in mensibus viam non invenientibus, quam in gravidis, cum illis sanguinis copia superest, caput potissimum, nisi aliqua pars male valens ad se morbum trahat, gravari, atque opprimi videamus. Tanti laboris erat Ladestanæ Fœminæ fungosum sarcoma convenire?

VIII. Igitur Mulier, quam sanguine abundare, florida, temperies, ætas, hilaritasque satis docebant; cum primis gestationis mensibus a puero, sanguis, qui ad uterum fluebat consumi totus non posset; ab utero redux, peculiarem capitis partibus plenitudinem induxit, per quam meningis, vel Pericranii fibræ ad Lambdoidæam suturam aliquo probabiliter vitio, ut suspicatus sum, a nativitate donatæ, uberius irroratæ, ut sata a fæ- cun-

(*a*) *In* astis Londin. ao. 1667.

cundo imbre luxuriantia, ſe ſe extenderunt; craſſiores a copioſiore alimento aſſimilato factæ ſunt; ſitum, quem cum aliis ſervabant, mutarunt; Naturæ Mechanice, mirabili quidem, nec infrequenti, licet nobis ignota; in canaliculos liquidis, tum nutritioni, tum ſenſui neceſſariis, continendis aptos, ſe ſe efformarunt; partiſque vitio ita eos probabiliter determinante, ut aſſolent arborum, conorumque fibræ, in fungos, aliaſque vivas excreſcentias ſe ſe producere; in vivum, vegetanſque tuberculum, quod tunc piſi magnitudine apparuit, converſæ ſunt.

IX. Cum deinde exacto geſtationis tempore, uteri ſarcinam depoſuiſſet Mulier, ſanguiſque, qui ſingulis menſibus ſuperabundat, in ſinum uteri vacuum illaberetur, illincque efflueret; copioſius alimentum, quo adoleſcere poſſet, fungo demebatur, ideoque ventre vacuo vix alimentum capiebat. Verum prægnante denuo facta muliere, cauſæ, quæ ut oriretur effecerant, ipſi jam orto iterum applicabantur, uberior nempe ſanguinis ab utero reducis alimonia; unde ille tunc feliciſſime adoleſcebat: Ita fungorum ſobolem arborum cæſorum truncis adnatam, ſudo cælo ferme areſcentem ſæpiſſime vidi; quæ poſt fæcundos imbres, denuo ſucco turgida, ultra fidem intrà paucos dies adoleverat. Atque hæc ſunt, quæ de ortu, atque incremento ſarcomatis divinare

nare potui. Nunc ad ſanguinis fluxum veniamus.

X. Vaſa ad pelvim in Fœminis ſpectantia, cæteris minus preſſa & reſiſtentia, majorem ſanguinis a nutritione ſuperflui copiam in ſe ſe admittere, donec is, & mole, & pondere, eorum oſcula vi contractili clauſa, ubi minor eſt reſiſtentia, ſuperet, ex hiſque effluat in mulierum menſibus, haud probare neceſſe mihi videtur. Hoc igitur poſito, ſi humorum copia, quæ abſoluto nutritionis negocio hypogaſtricis vaſis peculiarem plethoram induceret, vel demantur, vel aliunde derivetur; vim vaſa aperientem, vel imminui, vel in totum ſupprimi, prout major, vel minor ſanguinis copia alio derivatur, neceſſe eſt. Cum igitur in muliere noſtra ſecunda imprægnatione ſatis notabilem magnitudinem condyloma adeptum fuiſſet; opus habuit ad nutritionem non pauca ſanguinis copia; qua in ejus nutrimentum conſumpta, minorem plethoram hypogaſtrica vaſa ad ſe ſe alliciebant; quapropter, prout ſarcoma adoleſcebat, menſium fluxus à dicta plethora pendens, imminuebatur. Verum a nova imprægnatione majus uſque incrementum adeptum, tantam ſanguinis copiam ſibi aſſimilabat; ut qui a nutritione reliquus erat, inferioribus minus preſſis, parumque reſiſtentibus vaſis eam plethoræ vim inducere non valuerit, quæ ad vaſorum reſiſtentiam ſuperandam, ut ex utero flueret, ſatis

satis esset. En siccas itaque mensium per loca naturalia scaturigines. Novam tamen viam sibi naturæ necessitas aperuit. Namque cum vasa ad sarcoma sanguinem deferentia, totidem emmissaria sint respectu vasorum aliorum cum quibus comnnicant; necesse est sanguinis velocitatem per ea accelerari: quæ cum secum trahat ad sarcoma majorem sanguinis copiam, quam vires vasorum sarcoma constituentium ferre queant; ista nimium distracta, tandem dehiscunt, ubi minor illorum resistentia viget; nempe qua per umbellæ superiorem superficiem reptantia, aeris solummodo externi compressionem patiuntur. Dixi ea vasculorum oscula ab aere solummodo comprimi: mihi siquidem, tum ex colore, qui in cute cuticula denudata apparet; tum ex sensu exquisitissimo, quo pollet umbellæ facies superior, tagmine, quo vasa ad aerem exposita cooperiuntur cuticula nempe, destitui visa est. Eam porro vasorum sarcomati plenitudinem, quæ vasculis aperiendis par est, ab iisdem causis excitari puto, quibus ea exitatur, quæ Fœminis, quibus menses per loca naturalia stato tempore fluunt, in vasis hypogastricis fit. Quamobrem, cum hæc nonnisi stata periodo agant, menstruationem quoque stato tempore per fungum fieri necesse est. An vasorum revehentium sectiones, recipiendo sanguini illuc ab arteriis delato pares minime sunt, unde

unde cum hic aucta copia turgescit, ab itinere suo impeditus, atque ad canalium apices, ubi ex arteria fit vena copiose accumulatus, facile coercentes tunicas distrahit? Certe vena nigricans, & varicosa, quæ ad fungi umbellam repit, a majore sanguinis vi, quam ferre possit, ægre distrahi, & tumefieri satis ostendit. Id ipsum ostendit ichor, quem umbella continuo plorat: hunc enim nihil aliud esse puto, quam serosiorem sanguinis partem, qui cum ob resistentiam venosi in varicosa vena stagnantis a suo itinere cogatur deflectere; ut summe aqueus est, vel per diapedesim a reliquo secernitur; vel per oscula, ipsi quidem, ut pote subtiliorum partium aperta, non vero cæteris cruoris particulis, evadit. Sic notissimo LoWeri experimento, ligata vena, partes a quibus sanguinem avehit, hydropicæ fiunt; sicque sub menstruationis; & Lochiorum finem vascula, quæ rubrum cruorem eructabant, se se contrahentiam fibrosum, globulosumque sanguinem coercent utique; seriosioris vero, & lymphæ exitui, patescunt.

XI. Quamvis uterus hujusce mulieris, menstruis non amplius perlueretur, nihilominus ejusdem puerperæ denuo exilientis.

Cruore rubros obstætrix pannos lavit.

Hinc facile videre est, quantum fallantur ii, qui infæcunditatis nota signant mulieres, qui-

bus

bus menses non fluunt. Cujusce rei praeterea, quae apud historiarum Medicarum collectores inveniuntur, ipse nuper exemplum in quadam rusticascchyrro hepatis laborante, vidi, quae licet eam a quatuor annis fluor menstruus defecerit, jam jamque tabe confecta sit; nihilominus intra dictum tempus ter peperit. * Illud quidem verum est, mulierem juxta naturae praescriptum a menstruis exercitam, & sanam esse, & partes generationi dicatas optime constitutas habere, unde probabilissime faecundari possit. At ex defectu mensium contrarium semper conjicere, haud rationabile est; cum iste defectus, neque naturalium partium vitia semper arguat; neque semper adversam valetudinem; neque ulla ineluctabili necessitate sterilitatem inducat. An non aliorum animalium, simiam si forte excipias, foemellae, absque ullo mensium fluxu praegnantes fiunt. Hoc hercle ostendit conceptus negocium nullo modo ab fluxu hoc cruoris pendere.

XII. Ad quartum usque partum statam periodum fluxus iste servavit; quo exacto, quandoque bis, quandoque ter, saepiusque aliquando per mensem, ut in historia narravimus, fluere sanguis caepit. Quem mensium immodicum fluxum, non jam ab aliquo sanguinis interno vitio (licet enim aereum colorem ab-

* Tabida obiit

ab nimiis sanguinis effusionibus contrahere cœpisset, nihilominus quibuscumque naturalibus muniis adhuc optime fungebatur, infimique ventris viscera mollia, faciliaque contrectationi se se offerebant) sed ab condylomate ipso; quod cum quo magis increscit, eo laxior fungosiorisque substantiæ evadat; eam sanguinis copiam, quam absque effusionibus anteacto tempore ad se alliciebat, modo haud continere par sit. Quin majorem vim sanguinis ad ipsum quotidie acciri rationabile est, cum emmissariorum diameter eo incrementum capiente quotidie augeatur. Hisce accedit, quod cum in muliere, quæ nullam sibi in vitæ regimine normam imposuit, ab gestis, ingestis, egestisque pati aliquid sæpissime debeat sanguis; si in motu, vel tantillum excesserit, hunc in vasis ad sarcoma vehentibus accelerari, emmissariorum ratione, necesse est; idipsumque contingere, si copia augescat; unde de sarcomatis vasa, quæ antequam laxa adeo avaderent, non nisi datæ plenitudini cedebant; modo laxiora facta, ob quemcumque vel minimum motus incrementum, aperiuntur. Quem sanguinis motum, mirum, quam possint vitiare animi pathemata! Si enim ex iis sint, quæ secum majoris momenti species trahunt, quisque videt effati necessitatem: Si vero minoris; sanguis, qui naturaliter lentiore motu in venis, quam in arteriis fertur,

adhuc

adhuc ſentior evadens; impedimento eſt arterioſo ſanguini pone ſuccedenti; unde hic vaſis plenitudine inducta, ſi ea ſint, quæ facile aperiri poſſint, ex illis effunditur. Non ita pridem Matronæ cuidam immodico menſium fluxu laboranti, medicinam, ſed irritam faciebam, licet a Præſtantiſſimorum Medicorum conſiliis adjutus; cui, vel leviſſima animi agitatio ſive ira, ſive triſtitia ea foret (hoc autem ob domeſtica diſſidia ſæpe nimium ſuccedebat) ſanguinem ex utero accerſebat. Sic ii, quibus, vel ex hæmorrhoidibus, vel ex naſo ſanguis fertur; ſi vel tantillum plus æquo exercitio incaluerint; vel, ut Plauti verbis utar, ſe ſe invitarint in cœna pluſculum; vaſorum oſcula a crebris anaſtomoſibus debilitata, ſtatim ſanguinem fundunt. Atque hæc habui, quæ dicerem de ortu, atque incremento ſarcomatis, ac de ſanguinis, prius periodice, inordinato deinde a ſarcomate fluxu. Quæ, ſi circa abditas morborum cauſas datum eſt aliquando hariolari, ita facta fuiſſe, forte non improbabile, nullo vero modo impoſſibile duco. Praxi propius nunc accedamus.

XIII. Quid mulieri a tali morbo timendum eſt? ſummum ſui mali remedium, mors nempe, me judice. Ut enim ea miſſa faciam, quæ copioſioribus ſanguinis eruptionibus tandem ſuccedere ſolent; periculum eſt, ne vires jam

fractæ,

fractæ, copiosiorique hæmorrhagiæ sustinendæ impares, quandoque omnino fatiscant. Periculum vero copiosioris usque hæmorrhagiæ vereri haud irrationabile est, quia hæc in diem fit copiosior, frequentiusque recurrit. Nec minus periculum, licet non adeo proximum, ab sarcomate timendum est. Cum enim sarcomata ista felicissime adolescant; partibus aliis necessarium adimunt pabulum, indeque tabem incurabilem nasci necesse est. Scultetus (*a*) a sarcomate in interna dextri fæmoris parte exorto, biennii spatio eo magnitudinis provecto, ut tria capita humana æquaret, militem Svecicum oppido macilentum redditum vidit, cum antea fuisset corporis habitu mediocriter carnoso. Infantem, vetulam rugosam facie exprimentem, cui, ut recte judicavit Hildanus, moles carnosa occipiti adnata adimebat nutrimentum, unde reliquum corpus, & facies tabescebat, Hildano, Joannes screta proposuit, (*b*) Puellæ, quæ carneum fungosum sarcoma dextro oculo subnatum habuit; cuique resecto aliud sub oculo sinistro successit; pedes negatos, diremptosque ob alimentum a sarcomatibus, ad se raptum, judicavit Larcheus apud Severinum (*c*). Unde scite Celeb. Practicus Ettmulerus,

fun-

(*a*) In arm. Chir. Observ. 93.
(*b*) Manget. in addit. ad l. 4. sect. 3. Sepulc. ad obs. 9.
(*c*) Apud Bonet. T. 3. Sepulc. l. 5. sect. 3. Observ. 2.

fungosarum (*a*) excrescentiarum curationem tradens, animadvertit, *quod fungus in principio supprimatur, quia nutrimentum absumit, & corpus ad tabem disponit*. Verum, an non extremis hisce, fungum exscindendo occurri posset? Hoc est, quod ultimo disquirendum mihi proposui.

XIV. Fungosas excrescentias non semper exscindi posse, neque cystiformes tumores semper extirpari; primum quidem animadvertit Ettmulerus (*b*) laudatus; secundum vero Pecquetius, & Hoecsteterus (*c*) Quod equidem juxta dictos Auctores tunc minime fieri potest, cum excrescentiæ istæ, vel majoribus vasis adnascuntur, unde iis exscisis lethalis hæmorragia succederet; vel nervosis partibus adhærescunt, a quibus extirpatæ mortiferas convulsiones excitarent. Celsus (*d*) Meliceridis, & Atheromatis, quæ manu fit curam tradens; si quando ab inferiore parte tunicæ musculus inhæsit, ne is lædatur, superiorem exscindendam, inferiorem ibidem relinquendam docet. Hisce positis, & si in casu nostro copiosiorem hæmorragiam impedire possemus, fungum scalpellis incidentibus ignitis amputando, quemadmodum maximos tunicatos tumores Chi-

T rur-

(*a*) Colleg. Pract. l. 5. de Chirurg. Medic. sect. 5. de tumor.
(*b*) loc. citato.
(*c*) Bpud Bonet. T. 3. Sepulc. l. 4. sect. 2. ad observ. 15.
(*d*) l. 7. c. 6.

rurgorum Princeps ab Aquapendente (*a*) & ex hoc Scultetus (*b*) amputandos esse docent; nihilominus, locum, cui fungum adcrevisse conjectavi, periculosiorem amputationem effecturum mihi persuadeo. Pericranii vulnera, & si nunquam periculo careant, tunc tamen periculosiora esse, cum suturis proxima fiunt, praxis quotidiana evincit. Latomi filium, cum saxum per funem trahendo in latus cecidisset, caputque schedis Marmoreis pavimento superjectis allisisset, vulnusque, ut levissimum nihil curasset, sed in officina usque ad noctem pensum præscriptum exequi perexisset; cum media nocte nervorum distentio accessisset, die secundo a convulsione aphonum convulsumque emori aliquando vidi, licet contusione simplici pericranium ad coronalem suturam perstrinxisset. Alium vero e casu, capite ad verticem cum cranii fractura vulneratum, post ossis abscessum, perfectissime sanitatem recuperasse annotavi; licet ex Hippocrate (*c*) ejus loci vulnera cæteris sint lethaliora, ibi enim, ut ipse ait, & Anatomes ostendit *cranii os tenuissimum est. ac modica carne defensum, & plurimum cerebri sub sincipite jacet*. Suturis vero proximas læsiones ideo summe periculosas esse puto, quia facile

(*a*) In oper. Chirurg. de carnis Chirurg. quæ ad tumores, prope fin.
(*b*) ad Tabul. 35. armam. Chirurg.
(*c*) De vulner. cap. tex. 4.

facile illac duræ matri offensa communicatur; quæ cum vaginæ loco sit nervis, & cerebro exeuntibus; ex ejus irritatione, & inflammatione hos quoque convelli per necessarium est. Huic porro Fœminæ sarcoma Lambdoideæ suturæ incumbebat; forte ab ipsissima dura matre producebatur, ut fungus in capitis plaga ab Anhornio relatus; an igitur absque summo periculo exscindi poterat? Haud equidem mihi videtur. Quid vero si ad hæmorrhagiam sistendam, ignis, violentissimum Medicinæ genus, nervisque ab eo tactis distentionem afferens adhibendus fuisset? Hisce rationibus adductus, nolui absque aliorum Medicorum consilio, ut magnis remediis ferro, & igni per me infamiæ nota probabiliter inureretur; neque medico sed carnifici Misericordiæ genus esse putavi cito occidere. Quoniam, tametsi, accerbissima crudelitas sit, Seneca teste, quæ trahit pænam; quos tamen salvare nos posse non putamus, ultimum finem illis afferendo, a pęnis, quibus conflictantur eximere non debeamus. Verum equidem ex Celso (*a*) est, nihil interesse, an satis tutum præsidium sit, quod unicum est: sed hic præsidii loco ultimum exitium mihi videre visus sum. Idque exemplo, & auctoritate aliquot Virorum Clar; qui ut MecKeren in observa-

(*a*) l. 7. c. 33.

tionibus Chirurgicis annotavit (*a*) fungosam excrescentiam capiti postico cujusdam puellæ adnatam extirpare noluerunt, eo quod duram meningem cum portione aliqua substantiæ cerebralis per suturam Lamdoideam extrorsum protrusam, sibi persuaserunt. Terrebat me quoque Historia ab Hildano enarrata (*b*) quam non abs re duco huc transferre: Cosmus Slotanus *Nobilem juvenem curandum habuit, cui Cranium fractum, partioque quædam exempta fuit, unde fungus exortus. Ille, ægro fere ab omni periculo libero, a curatione desistere coactus, barbitonsori eum committit. Hic contempto consilio, & medicamentis Slotani, nullaque habita ratione loci affecti* (digna Hildano animadversio) *pulverem aluminis, & vitrioli usti inspersit fungo; inde exortis dolore vehementissimo, febre acutissima, delirio, & inflammatione, paucos post dies obiit.* Feminę igitur, quæ manuum medelam quamcumque experiri volebat, ut adeo turpe malum a capite suo exscinderet, suasor fui, ut morbum patienter ferret; apto victus regimine uteretur; fungi pedem, non admodum arcte, filo crassiore constringeret; sanguinis, si & a colligatione large flueret, copiam, constrictorium officinarum pulverem aspergendo, nisi comprimeret, saltem minueret: Extra vero

(*a*) apud Bonet. in Sepulc. T. 3. observ. 9.
(*b*) centur. 1. Observ. 14.

vero hæmorragiæ tempus, totam fungi molem prius pulvere Paræi exiccante ex Ochra, & Sabina; vel ejus loco, C.C. plumboque ustis, ac pompholige consperſum, emplastro de cerusa usta, ut muniret. Jamque opus, quod ab initio mihi perficiendum proposui, pro virium tenuitate me satis exegisse putabo.

Nisi diversæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet ea, quæ dicta sunt, uti; at cum plures dictæ sunt, licet tamquam aurum parum deligere, quod per se discerni cum nequeat, comparatum altero discerni potest: (Herod. in Oration artaban. ad Xersem in Polyhymnia)

F I N I S.

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE VIRO

JOANNI FREIND

Medico apud Londinenſes longe celeberrimo Joſeph Antonius Pujati Sacilenſis (*)

S. P. D.

N.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam Freind Doctiſſime, quod homo vix ſibi notus, e latebris Forojulienſibus, te virum toto literario Orbe celeberrimum, e Regia optimorum ſtudiorum altrice, totiuſque Europæ ſplendidiſſima Urbe Londino, compellat. Et ſane, ut cum primis, quæ meæ tenuitatis ſunt præteream; quod ſi vel eæ conſiderentur inopportunitates, quæ viris literis deditis plurimum officiunt, dum procul ab Urbibus celebrioribus loca minus felicia incolunt; nedum mirum, ſed perridiculum videri poterit, quod ego de rebus Medicis tecum ſermones conſerere velim. Verum ſi quis conſideret, ea, quæ ad Praxim Medicam ſpectant, quamvis maxime

(*) Cum epiſtola hæc ſcripta eſt anno. 1733. nondum auctori innotuerat Præclariſſimum Freind ad plures abiiſſe.

me possint exornari ab iis commoditatibus, quas Clinici literatas Urbes incolentes capere possunt; nihilominus ejusmodi esse, quæ sine externo eruditionis; absque librorum copia, amplissimarumque Bibliothecarum subsidio; a paucorum, sed optimorum auctorum lectione, ab observatione naturæ, quæ ubique eadem est; a lectulis ægrotantium, nisi perornatam speciem, solidam tamen nancisci possint; facile confitebitur, quod, vel humilis Pagi Medicus de rebus ad Jatricam facultatem pertinentibus, cum viris etiam, ut tu es Freind, undequaque perdoctis, verba, & literas miscere queat. Ob plurima sane, illisque intrinseca, Medicinam, & sapientiam sorores, contubernalesque vocavere Democritus (*a*) & Hippocrates (*b*); sed ob id etiam mihi maxime affines esse videntur; quod, quemadmodum sapientia, docente Plutarco (*c*) quovis in loco radices agere potest, si bonam indolem, & animum laboris tolerantem apprehenderit; ita etiam Medicina in umilioribus, & obscuris urbibus florere queat, si non rude ingenium, neque infirmum judicium, cum observandi patientia junctum nacta fuerit. Quæ refero, non quia de me quicquam elate sentiam; sed ut quorundam

(*a*) In Epistola ad Hippoc.
(*b*) de decent. ornat. tex. 5.
(*c*) In vita Demosth. T. 3. Vitar.

præjudiciis occurram, qui præter nomina magna cæteros nihili ducentes; de ingeniis perinde ac de moribus judicium ferunt, e quibus ii solummodo in prætio habentur, quibus, qui Clarissimis in Aulis degunt, vel Amplissimarum Urbium cives utuntur.

II. Quamquam a loco, quem inhabito, haud tam avversus sol jungit equos, ut quæ a viris in jatrica facultate clarissimis de novo lucem eduntur, omnia me prætereant. Etenim, si non cuncta, aliqua saltem e potioribus ad meos oculos perveniunt; idque ex hoc Vir Clarissime percipies, quod ad me tua opera haud ita pridem allata sint. Quanta in tua Medicinæ historia admirarim, quantaque ab eo scripto didicerim, fari vix valeo: quod non amplius me plurima nescire non pudeat, quæ ad Medicos spectant, tibi unice refero. At prorsus me beasti solidissimis operibus tuis ad Praxim spectantibus, Venetiis, sed non ea, qua par erat diligentia, hoc anno, recussis. Quicumque spretis opinionum ambagibus dicere aveat, quomodo in Praxi Medica sit philosophandum; quomodo quæ abstrusiora visa sunt in Chymicis, & materiæ Medica sint explananda; qua via ex veterum Doctorum lectione uberimi fructus sint comparandi; tuam emmenologiam, & Chymicas prælectiones consulat: tua ad Hippocratem commentaria adeat, tuam Epistolam de febre variolosa perlegat;

Næ,

Næ, si cor illi sapiet, exiguo quidem, sed nobiliori numero illorum Medicorum te adscribet, qui inter volitantes umbras soli sapere cordatis videntur. Ob hæc æquidem te maximi feci, & facio, at ob illud te summo amore prosequutus sum, quod Hippocratem Dictatorem nostrum excolas, atque illustres, quod tuis assertis in eo patrocinium quæras, quod demonstres quomodo ejus dictata veræ rationi, eæ nempe, quæ in rebus Practicis ab Anatome, & experimentis, non ab hypothesibus deducitur, apprime quadrent. Quale Hippocratis studium, cum pro ingenioli mei tenuitate ipse quoque in delitiis habeam, Hippocrateque auctore, & Patrono quam maxime possum utar, non possum eos præ cæteris Medicis non amare, qui Hippocratem colunt, plurimumque illi in Medicis rebus deferunt.

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis
Et servat studii fædera quisque sui.

III. Verum ex Hippocratis studio, ejusque operum repetita lectione, duo invenisse mihi visus sum, quæ ex diametro contra binas tuas assertiones stare videntur. In egregio tuo Commentario primo, de ratione scribendi, quam in Epidemiorum libris servavit Hippocrates, eam, quam tenuit Galenus sententiam foves: Magnum nempe Praxeos Dictatorem, tametsi in febribus descriptis non me-

mine.

minerit venæ sectionis, eam nihilominus in dictis febribus celebrasse. Deinde in solidissima tua Epistola ad Doctissimum Mead conscripta, postquam observationibus potissimum illam probasti methodum, qua repetita catharsi, febri secundariæ variolis supervenienti felicissime occurri posse contendis; subdis, dictam purgandi methodum, etiam contra putridas humorales vocatas febres, ex Hippocratis auctoritate posse adhiberi. Quibus de rebus cum tecum sentire nequeam Vir Clarissime, rationum pondera, quę ad dissentiendum me cogunt, huc tibi depromam, ut, vel ea pro tua in Hippocratis scriptis Doctrina diluas, si nugæ sint, vel pro tua ingenuitate, si vera, confirmes.

IV. Primum argumentum, quod me credere impellit Hippocratem in dictis febribus sanguinem non eduxisse (hoc enim primo mihi probandum assumo) inde duco, quod constantissime de hoc remedio siluerit, narrare vero cætera præsidia, si quæ adhibita fuerunt, non prætermiserit. Quid? Balani, Clysmatis, loti capitis meminerit Hippocrates, quoniam talia remediorum genera adhibita sunt, licet non illiusmodi, quæ febrim radicitus tollere, nisi casu, & quodam felici fato possint; non meminerit vero venæ sectæ, quæ si credimus Galeno ægros in tuto collocare poterat. quamque Hippocrates adamabat? Vel alios

dictis

dictis historiis methodum medendi febribus edocere voluerit; vel sibimetipsi, suisque commodis solummodo dictas historias exararit; parum prudenter, parumque honeste se gessisset prudentissimus, atque honestissimus vir, si de venæ sectione celebrata tacuisset, levissima interim remediorum genera enarrasset: Si enim dictas peculiares historias sibi scribebat, cum ob id illas scriberet, ut variam morborum descriptorum naturam; affectionum vim, atque tempora; remediorum effectus ob oculos, atque in mente haberet, quæ omnia illum similibus morbis medendis aptiorem redderent (ipse etenim recte præceptis a se traditis parebat: *sint in memoria tibi morborum curationes, & harum modi quotupliciter, & quomodo in singulis se habent, hoc enim principium est in Medicina, & medium, & finis* (*a*) procul dubio, quod ea ommittendo auxilia, que curationes peregerant, ea vero describendo, quæ sine potioribus vix juvissent, post verò magis valentia adhibita, forte supervacanea fuissent; levissime admodum se gessisset, perfunctorieque, ut minime illum decebat, dictas historias scriptitasset. Et sane quod post catharsim sæpius celebratam, venamque iteratò sectam, ut Galeno, aliisque in febribus facere placuit; vix remediis recensitis opus fuisset: vel dictis potioribus auxiliis

(*a*) de dec. ornat. tex. 8.

liis ommiſſis, parum, aut omnino nihil balanei, & capitis lotiones præſtitiſſent. Si vero, ut alios edoceret dictas hiſtorias literis conſignavit; viderit ipſe, quam bene, prudenterque ſe geſſerit, vera, & ſolida remedia, vel oſcitanter, vel ex animo occultando, levia interim exponendo; ut inde Tyro Medicus ejus auctoritate fretus pro Junone nubem amplectatur; ac ſuperficiaria Praxeos tinctura imbuatur, dum interim ſolidam medendi facultatem ſolide ſe acquiſiviſſe autumat.

V. At huc uſque dicta pro non dictis habeantur. Unum a te Vir Doctiſſime averem ſcire, cur in aliis morborum hiſtoriis in Epidemiis recenſitis venæ ſectionis meminerit Hippocrates, quoties illa celebrata fuit; in febri vero laborantium hiſtoriis de illa ſiluerit, quamvis tale auxilii genus in uſum revocaverit? Profecto, quod ſi ut ait Galenus, tale remedium Hippocrates adamabat, illius recordari debuerat, præcipue dum contra febres feliciter eo uſus erat. Quoniam, cum febris præ aliis morbis univerſalior morbus ſit, eoque plurimi moriantur; maxime intererat illud poſteris exemplo commendare remedium, quod contra febres maxime potens eſt. Interim de hoc remedio contra febres, ne verbum quidem Hippocrates, cum tamen illius meminerit in hiſtoria Euridami; viri in œniade; uxoris Polemarchi; ancillæ Idumeæ; Halicar-

naſſen-

nassensis ; Phœnicis ; Melissandri ; Eudemi , & aliorum ; quibus non ob febrim, sed ab aliis morbis decumbentibus, venæ sectio, vel levamen tulit, vel morbum graviorem reddidit.

VI. Verum huic argumento, quod ab Hippocratis silentio ducitur, tu doctissime Freind, Galenusque probe occurristis ; dum Galenus scriptum reliquit, in febrientium exaratis historiis, Hippocratem haudquaquam curationis lucubrationem, sed præsagitionum fundamenta solummodo prosequutum : tu vero, cum supponas plura remedia ab eodem contra febres adhibita ; subdis : quod non ex hisce Epidemiorum libris, sed ex cæteris scriptis discere debeamus, qualem in quoque morborum genere curationem instituerit.

VII. Licet in libris Popularium morborum plurimas curationes inveniam, nec pauca præcepta ad curationes spectantia, ut propterea Galeno vix assentiri possim, qui in dictis libris præsagiendi solummodo fundamenta exarata credidit (Erotianus Hippocraticarum vocum interpres vetustissimus in Epidemiorum libris, non solummodo ea, quæ *significant*, sed *mixtam* materiam contineri putavit) : licet, inquam, Galeni auctoritas contra factum nihil me moveat ; nihilominus, ut & illi, & tibi morem geram, iis in libris, in quibus febrium curationes instituuntur nunc expiscabimur, utrum ille vere in febribus sanguinem edu-

eduxerit, nec ne? Quod si in dictis libris inveniemus, ejus de sanguine contra febres educendo, præcepta, a te, atque a Galeno stabit conjectura: sin vero absque sanguinis emmissione febrium curam instituat, jure ego inferre potero, quod silentium in Epidemiorum libris servatum, satis validum sit argumentum ad probandum, quod id tacuetit, quia vere illam in usum non revocaverit. Ad rem igitur.

VIII. Libro 2. de morbis, tex. 36, quotidianam intermittentem, & continuam continentem absque venæ sectione curat. Ibidem tex. 37. in febre acuta mali moris, sibi a venæ sectione temperat. In tertianæ intermittentis, & quartanæ curatione tex. 38. 39. venæ sectionis non meminit. Febri ardenti, & singultuosæ, eique, quam interficientem appellat, textibus 61. 62. 65. ejusdem libri, sanguine non detracto medetur. Tertio de morbis tex. 6. ardentis intacta vena curationem denuo prosequitur, eidemque methodum eamdem adaptat tex. 11. libri de affectionibus. In febre æstuosa libro eodem descripta tex. 14. sanguinem non mittit, quemadmodum tex. 2. ejusdem libri, febres hyemales, quæ ex eodem & observatione nimium vera *transeunt aliquando in morbos acutos*, sanguine non detracto curaverat. Venam non tundit in stupore attonito, in quo, *& febres fortes tenent, & ca-*

lor

lor acutus ex libro de internis affectionibus tex. 42. at quis crederet? In libro acutorum, quamquam ibi in inflammatoriis morbis venæ sectionem potissimum esse remedium doceat: quamquam ibi venam secandam præceperit si vehemens appareat morbus, *& qui ipsum habuerint in vigore ætatis fuerint, & robur ipsis affuerit*, nihilominus binas ardentes recenset, curationesque tex. 34. 35. subdit, nulla de emmittendo sanguine facta mentione. An Hippocrates tale remedii genus adamaverit, ut vult Galenus, vel ipsi Massariæ, qui ajebat se male cum Galeno errare, quam cum aliis recta via incedere, dijudicandum relinquo. Quid igitur? Ni fallor vir doctissime, jam opus exegi: cumque ostenderim Hippocratem ubi docet curare febres, de sanguine mittendo tacuisse, minime fallaci illatione deducam, eum ideo venæ sectionis contra febres in Epidemiorum libris non meminisse, quia illam contra febres minime administravit.

IX. Hic mecum vir Clarissime perpendere ne dedigneris, quam male Galenus, in Pithyonis casu putarit venæ sectionem ante octavum diem celebratam, consuetum fuisse Hippocrati contra febres auxilii genus; cum Cous Senex, nedum non docuerit venam in febribus, vel in morbi principio secandam, sed eam omnimode vetarit etiam in iis ægrotantibus, quibus tutissime adhibetur, si febris affuerit. Quid? Non ne in secundo epidemiorum, se-

sectione quinta, venam secari prohibet in capitis ulcere, si æger cum febræ fuerit? Non ne ibidem apoplecticos curare per cruoris eductionem vetavit, si febris inhæserit? En igitur quod tantum abest, ut Hippocrati solemne consuetumque esset ante quartum in febribus venam pertundere, quod potius febris presentia illi venæ sectionem prohiberet. Cum igitur idemmet Cous Senex vetarit sanguifera vasa aperire præsente febri in morbis illis, in quibus febre absente ea aperuisset, ut ex mox citandis textibus apparebit: clarissime deducere possumus, eum tale remedii genus in febribus non adhibuisse, supervacaneumque esse contra ejus dictata, labilibus conjecturis locum dare in iis febrientium historiis, in quibus altum de venis sectis silentium. En vero ejusdemmet Hippocratis verba, *Si vero ulcus fuerit internas venas secato, si non febricitet*: & paulo inferius: *quicumque de repente voce destituuntur, si sine febre fuerint, ipsis venam secato*.

X. Quod si post hæc ex ipsius ore Hippocratis prolata alio adhuc argumento opus esset ad ostendendum Hippocratem in febribus venas non secavisse: en vir Clarif. quod tibi illud propono. Tibi in hujusce magni viri operibus maxime versato, datum fuerit observare, Hippocratem, ut plurimum, vinum ei concedere, quem febris exercet. Itidem illius textus probe memineris in libro acutorum exa-

exarati (*a*) ubi ait : *at si sanguinem alicui detrahere conducit, solidam alvum facere oportet, atque sic detrahere, & fame macerare, & vinum auferre*. Vides igitur, ei cui venæ sunt pertundendæ, ex Hippocratis judicio vini usum esse inhibendum; atqui in febribus fere semper vinum concessit Hippocrates; nonne igitur fatendum est (quandoquidem magnus vir sibi constet) eum in febribus venas non secuisse?

XI. Venas igitur in febribus non secavit Hippocrates: addo, quod neque secare debuerit. Lubeat nunc tibi quæso Vir Doctissime; pro tua humanitate benignas mihi aures præbere, dum aliqua profero, tibi quidem, tuique similibus Polijatris notissima, cum magni viri sensa, Doctrinamque probe calleas, numerosiori vero medentum cætui, prorsus ignota, & Παραδοξα. Hippocrates, qui magis sensui, quam opinionibus credebat, minime putavit in febribus humores putrescere, quemadmodum commentus est Galenus, quem Andabatarum more superiores Medici sequuti sunt; sed calescere, fervere, atque exuri, ut testatur etiam Claris. ejus interpres Martianus (*b*). Hinc cum æstui, calorique concipiendo, nullum aptiorem biliosо humorem in corpore nostro cerneret; in ea fuit

(*a*) tex. 65.
(*b*) Sup. vers. 2. sect. 6. l. 6. epid.

ſententia, quod nulla febris humoralis abſque bilis interventu excitaretur. Sic, quamvis quotidianam pituitæ ſobolem; quartanam atræ bilis filiam putaret; nihilominus vis illa, quæ reliquos humores à cæteris diſgregabat, quæque eos febrili calori fovendo diſponebat, erat bilis; quæ utpote activior cæteris humoribus, & veluti ignea, humores reliquos accendebat, atque extorrebat. Ejus Doctrina ex tex. 27. libri de natura hominis manifeſtatur: *Febres plurimæ e bile fiunt: ſpecies ipſarum quatuor ſunt, præter eas, quæ ab occultis doloribus generantur. Nomina ipſarum ſunt, continens, quotidiana, quartana.* Quod ſi obiiciat forte Galenus partem eam libri citati, qua dictus textus compræhenditur, Hippocratis genuinam minime eſſe, tametſi ob non pauca optima, quæ continet, tanto viro ejuſque ſchola ſit digna; dicam nihilominus dictam de febribus ſententiam eſſe Hippocraticam, quoniam optime illis congruit, quæ alibi ab Hippocrate traduntur.

XII. In ea parte dicti libri, quæ, vel Galeno teſte Hippocratem auctorem habet, ubi Hippocrates probare intendit per æſtatem bilem gigni copioſiorem, ait: *Manifeſtum fit ex febribus, & hominum caloribus* (*a*). Libro 2. de morbis (*b*) quotidianam intermitten-

(*a*) tex. 14.
(*b*) tex. 36. 37. 38. 39.

tentem, ardentem, tertianam, quartanam describit, & curat, quas in titulo *febres* à *bile* vocat. In libro de locis in homine (*a*) ephemeræ plurium dierum curationem pertractans, ait; quod si febris post tertium aut quartum diem, nihil proficiente promoto per illinitionem, & calefactionem sudore, perduret, pharmacum in potu sit exibendum, quod bilem educat. In aphorismis (*b*) ait: *si febris non ex bile fit, multa aqua calida capiti affusa solutio fit*. Super quo aphorismo, non minus Martianus, quam Claris. Tozzi ajunt, hic Hippocratem febres humorales excludere, putridas a Galenistis vocatas. Quarto de morbis (*c*) humorem biliosum maximum febris alimentum vocat. Ex quibus omnibus facilime, & clarissimè infertur, febris humoralis causam in bilem Hippocratem refudisse. Febres etenim haud nobis manifestum facerent, quod bilis per æstatem exuberet, nisi a bile fierent; neque cholagogo pharmaco bilem in febre educeret, nisi felleum humorem causam febris putaret. Stat igitur, quod Hippocratis systema de febribus illud sit, quo ponitur febres humorales a bile originem ducere. Quod si aliqua in Hippocratis operibus quandoque inveniatur, quæ huic sententiæ,

 haud

(*a*) tex. 38.
(*b*) T. 4.
(*c*) textu 23.

haud ſatis favere videantur; conſulatur Martianus ſuper 27. textu de natura humana; ſuper 1. de morbis textu 22., & ſuper verſu 2. ſectionis. 6. l. 6. Epidemiorum, qui difficultates huic ſententiæ contrarias, haud difficile ſuo modo diluit.

XIII. Hiſce poſitis ſciendum ex Martiano, quod Medicinæ Parenti cacochymia qualibet vigente, ſuſpectum fuerit ſanguinem emmittere: minus in Melancholica: maxime in cacochymia bilioſa. Diatheſi melancholica vigente, ſecta eſt vena viro in veniade, donec exanguis redderetur: in diſcraſia bilioſa, ſi inflammatorios morbos exceperis, nullibi ſanguinem detractum invenias. Cum igitur febres humorales a bile excitari putaret Hippocrates; ſi ſibimetipſi ſuiſque principiis conſtare volebat, cruor ab eo intactus ſinendus erat. Non ergo mittere in febribus ſanguinem debuit Hippocrates, proindeque gratis aſſeritur, quod in febrientium hiſtoriis, venarum ſectarum, quas in curatione pertunderat, narrationem ommiſerit.

XIV. Tu vero vir Clariſ. tibi ſuadere non potes, Hippocratem anginoſæ ſanguinem non emmiſiſſe; Pleuritico, qui non ante trigeſimum quintum diem apyretos fuit, ſemel ſolummodo venam ſecaſſe; puerperæ balanum tantummodo ſubterdediſſe; eique, qui ardente febre laborabat nihil omnino exibuiſſe.

Ego

Ego vero ex dictis historiis illud deduci posse mihi videor, quod ante asservi; nempe Hippocratem sanguini maximopere pepercisse, neque tale remedium, contra ac vult Galenus adamasse; potioremque Medicinæ partem ad victus ipsius rationem transtulisse. Sed libeat parum per allatis historiis immorari.

XV. Pluribus in locis de angina, ejusque curatione pertractat Hippocrates. Libro 2. de morbis textibus 26. 27. 28. tres anginas describit, eisque medetur, nullo detracto sanguine; sed in morbi principio ad colli verticulum, atque utrimque ad aures cucurbitulam affigit, ut id quod strangulat, evocet in primis duabus: cæterum, gargarismatibus dissolventibus, fomentisque attenuantibus curationem prosequitur. In libro de morbis 3. textu 11. habetur levioris anginæ curatio, contra quam venas sub mamma, & lingua secat; atque a cubitis sanguinem dimittit, si validæ vires fuerint. Liber de affectionibus, nobis tex. 4. exhibet faucium inflammatarum curam, ibique gargarismatibus non proficientibus, binæ cucurbitæ, & quidem scarificatæ retro capiti raso admovendæ præcipiuntur. Ex hisce, quid infero? Quam nos tenemus contra anginam medendi rationem per repetitas sanguinis eductiones, haud eamdem esse, quam adhibebat Hippocrates; proindeque male ex iis, quæ hodie peragimus

nos arguere, eadem Hippocratis quoque temporibus peragenda fuisse. Ita non pauci ex hodiernis rerum priscarum scriptoribus, quos forte mores hodie vigentes præoccuparunt, eosdem in superioribus sæculis perquirunt, sed laterem lavant. Stetit semper, semperque stabit, quod humor anginam efficiens è faucibus deturbandus sit; haud tamen necesse est, ut semper iisdem medicis exturbetur auxiliis, quoniam non unica Methodo indicationi eidem satis fit. Sed tu ais, Doctissime Freind, ex libro acutorum textu *39.* citam venæ sectionem contra anginam præcipi: addo ego idem præceptum etiam haberi ex textu 42. libri de locis in homine. Sed nunquam adeo universalia, & constantia præcepta ars recipit Medicinalis, quin iis non raro a circumstantiis pluribus, ætatis puta, regionis, anni, temperiei ægrotantis, temporisque ægritudinis, non derogetur. Nunquamne, quæso, obvenit, ut rebus desperatis Medici vocentur, cumque solummodo ferali prognostico locus est? Perpende Hippocratem in dicta anginosæ historia ea non recitare, quæ secundo morbi die contigerunt. Nonne hinc inferre possumus eum solummodo ad decumbentem accessisse tertio, aut quarto die morbi, cum jam omnia ex extremorum frigiditate, & livore, exitium minitabantur, nullique Medicinæ amplius erat locus? Mihi

hi certe bis obvenit, ut ad binas anginosas vocarer, cum spiratio sublimis esset, extrema frigida, tumorque satis magnus in collo externe appareret, voxque stridula, ac gracilima esset. Sanguinem emmittendum utique curavi; sed eo ni fallor eventu, ut citius vitam cum morte commutarent. Magnus Hippocrates, qui inevitabile exitium cognoscebat, satius duxit, ut ægra morbo suo periret, quam ut educto sanguine, quod ædepol contigisset, non quinto, aut quarto, sed eodem sectionis die, occumberet. De anginosa apud Pitonem decumbente, ita ego vir Claris. sentio.

XVI. Venio nunc ad Pleuriticum, cui miraris semel tantummodo sanguinem eductum, qua super re haud pauca præfari nunc debeo, a quibus tamen, qua potero brevitate, me expediam. Primo, ajo, sanguinis missionem in Pleuritidibus equidem Hippocratem celebrasse; sed neque in hoc morbo, ut hodie obtinet, sanguinis profusorem fuisse. In libro de locis in homine textibus 30. 37. habetur Pleuritidum cura, quæ tota inititur humectationi, & sputorum eductioni. Trium Pleuritidem, ut plurimum curandam esse, veluti Phrænitis, & Peripneumonia: Peripneumoniam porrò curaverat lib. 2. tex. 43 absque cruoris emmissione. Ex hisce constare potest, Hippocratem, neque in hoc morbo acutorum principe sanguinem profudisse. Secundo, ajo, præci-

puam Hippocrati indicationem in cura Pleuritidum, fuisse dolores sedare; iisque sedatis, ab eo creditum maximam curationis partem peractam. Cum vero prudentissimus vir fortioribus non uteretur auxiliis, nisi frustra levioribus tentatis; dolores calidis fomentis, prius solvere tentabat; quibus in usum absque levamine revocatis, venam, ut eidem indicationi satisfaceret, pertundebat. Hæc clare patent ex textibus 10. & 12. libri acutorum. Hisce positis, Pleuritici examinemus historiam.

XVII. Anaxion in Abderis Pleuritide, & quidem sicca corripiebatur. Satim fomenta calefactoria lateri dolenti admota, sed absque ullo effectu, cum omnia in pejus ruerent, ægerque sexta delirus, septima vero magis dolorose ageret. Quid nunc faciendum mi Hippocrates? Vena pertundenda, sanguisque copiose educendus. Ita factum est, & quidem cum levamine; dolores etenim mitiores facti, & undecima febris remisit. Morbus igitur Hippocrati magna ex parte protritus. Quid præterea præstandum? An vena denuo secanda? Illi e medentibus, qui de humano sanguine adeo male merentur, ita mehercle fecissent; at Cous, qui præcipit venam solummodo tundendam, cum morbus vehemens fuerit, tali remedio nequaquam fugientem ægritudinem urgebit. Cæpit Anaxion matura spuere:

an tunc ſanguis iterato mittendus? Prudentiſſimus Hippocrates, qui Anaxionis res jam in vado videbat, nequaquam ſe ſibi ſimilem præſtitiſſet, ſi quæ ſponte ſalva futura erant, forte in diſcrimen venam ſecando evocaſſet. Sic, neque Piſiſtrato Pleuritide laboranti, cum apparuiſſet ſputum ſanguineum, quod criticum norat Hippocrates, quia *æger facile ferebat, & apud ſe ipſum erat, & calor remiſerat, & excreatio, & ſtridula aſperitas* (*a*) ſanguinem dempſit. At Anaxionis morbus, uſque ad trigeſimum quartum diem vena denuo ſecta, nequaquam perduraſſet. Id Deus aliquis viderit: ſi nullibi certe in Medicina quandoque lente feſtinare ſummæ opus artis eſt. Tradidit Hippocrates (*b*) *& ſemper non ſanantem, variare oportet modum, & ſi quidem pejus reddiderit malum, ad contrarium te converte, ſi vero ad ſalutem tendat, omnino nihil ab his, quæ adhibentur auferre oportet, neque quicquam aliud addere, aut apponere*. Celſus etiam (*c*) prudentiſſime ſcriptum reliquit, quod voluptas, & nimia feſtinatio in morbis curandis fere periculoſa eſſe ſoleat. Non igitur habemus unde miremur, ſi Hippocrates Anaxioni pleuritico ſemel tantummodo, & die octava venam pertuderit.

XVIII.

(*a*) Epid. 7. tex. 27.
(*b*) De loc. in hom. tex. 20.
(*c*) l. 3. c. 4.

XVIII. Habeo vero unde tecum mirer vir Doctissime, cur in historia puerperæ, & Parii in Thaso a febri acuta, ardente, siticulosa decumbentis, nullam remediorum adhibitorum mentionem, si balanum puerperæ suppositum excipias, inveniam. Medius fidius, quod si hujusmodi ægrotantes curæ meæ se concredidissent, absque ullo tentamine, atque a Medicis auxiliis integros, ad plures migrare minime sivissem. Utrum vero illis venas secassem, nunc non disquiro. Nihilominus dicam, quod Hippocraticis principiis inhærendo illi conjecturæ minime locus est, qua credi possit, sanguinem illis eductum. Præterquam enim quod in discrasia biliosa cruor Hippocrati sacer erat; Pario alvus perpetuo fluxit: adfuit igitur Hippocrati perpetuo prohibens venæ sectionis (*a*). Puerperæ Epicratis uxori, itidem usque ad undecimum alvus turbata: hic quoque symptoma aderat cruoris inhibens eductionem. Ab undecima, ad decimam sextam, vomitus, & sudores morbum leviorem reddiderunt. Non ergo quæ morbum judicabant perturbanda (*b*), sed sinenda erant. Decima sexta morbus recruduit, & quidem cum impetu: tunc forte locus venæ sectioni, si morbus a bile ortum non traxisset? At ejusdemmet Hippocratis effatum est:

(*a*) acutor. tex. 65.
(*b*) aphor.

est: *quum vero impetu fertur morbus, & ægrum; & medicum a curationibus quiescere convenit, ne quid mali inducatur* (*a*). Quod quamvis dictum de cura Pleuritidis, eadem ratione, qua de Pleuritide, etiam ad aliorum morborum curam potest transferri. Accessit deinde in statu morbi surditas salutis prænuncia: omnia igitur naturæ committenda, neque quicquam movendum. Nihilominus mira res est, quod Hippocrates, nedum in hisce ægrotis, sed etiam in pluribus aliis rem solummodo cunctando restituere tentarit, nunquamque remediorum vim experiri voluerit. Sed hic de Hippocratica medendi methodo, & de conscriptis Epidemiorum historiis, ut aliqua proferam, quæso, patere vir Doctissime.

XIX. Quamvis Hippocrates rei Medicæ vim penitus intelligeret; nihilominus certo certius est, eum parca admodum manu medicamenta porrexisse. Cum, naturas esse morborum Medicatrices, & sciret, & diceret (*b*); in illo potissimum totus erat, ut naturæ vim, qua contra morbos insurgit; nullo modo turbaret, sed illius medentis motus expectaret. Ob id in acutis ad victus rationem potissimam Medicinæ vim transtulit, cibumque ea quantitate ægris offerendo, qua possent usque ad morbi statum durare, eoque tempore, quo natu-

(*a*) 3. de morb. tex. 24.
(*b*) 6. Epidem. Sect. 6.

naturales motus minime impedirentur; observabat assidue, si qua via naturalis vis vergeret, ut eam quantum posset, adjuvaret. In hoc stetisse potissimam Hippocratis contra eos morbos, qui naturæ vocantur, in medendo Methodum, aliqua probatione fulcire, duco supervacaneum; cum id, vel ei pateat, qui a primo limine primam aphorismorum sectionem salutarit. Addam solummodo, ut conspici possit, quantum Hippocrates diætæ tribuerit, quod cum in libro de vetere Medicina ostendere vellet, medendi facultatem de facto existere, ac quomodo in artem evecta sit; non aliam Medicinæ partem pro exemplo assumpserit, quam eam, quæ de cibo ægrotantibus offerendo pertractat: quasi in hac, tota Medicina consisteret, vel saltem esset præcipua Medicinæ pars. Nunc venio ad ægrorum historias in epidemiis descriptas.

XX. Vel suis solummodò, vel alienis etiam commodis historias illas Hippocrates exaravit; id certum est, in illis exactissimam morborum, ægritudinum temporum, exituum, successionum, solutionum historiam, & observationem contineri. Hoc posito, opere prætium erat, ut quæ naturaliter contingunt solummodo describeret Cous: id verò facere nequivisset, si plena manu pharmaca ægrotantibus ingessisset. Quomodo enim scire potuisset, an illa, quæ contingebant in morbis,

natu-

naturæ; morbive, an verò medicaminum essent effectus? Forte igitur, & ob hanc caussam vir Medicinæ stabiliendæ natus, vel remedia non adhibebat, vel ea solummodo, quæ naturæ motus minimè turbabant; ut quid natura in morbis faceret, feretve, adnotaret. Etenim, nunquam præclarissimam præsagiorum sylvam habuissemus, nisi observatorum Princeps summa non minus diligentia, quam patientia iis animum advertisset, quæ natura sibi soli relicta, nullisque remediorum stimulis perculsa, in ægritudinibus solet præstare. Atque hæc a mente mea admirationem submovent, qua aliquando capiebar, cum legerem ægrotantium in epidemiis historias, absque eo quod, ut mihi quidem necesse videbatur, medicaminum adhibitorum recordatio ulla fieret. Cum igitur probabile admodum sit, ea solummodò auxilia in iis, quos febres exercerent adhibita, quæ in textu narrantur; ea decidit conjectura, qua creditur Hippocratem in febribus remedia plurima adhibuisse, vel venæ sectionem instituisse.

XXI. Sed paucis adhuc te volo vir ornatissime. Ex iis febribus, quas in historiis descriptis fusa alvus sustulit, ansam capis Commentario 7. loquendi de alvina purgatione. Et quidem rem eo deducis, ut observationibus, & rationibus satis probes, tale auxilii genus in febre secundaria variolis confluen-

tibus

tibus ſuperveniente, atque in febri Eryſipelatoſa, quam feliciſſimè reſpondere. Excretionem deinde inteſtinalem proſequeris, me judice, ea Doctrinæ vi, & Methodo, ut diſſertatio quam inſtituis, & ingenium, & demorſos ſapiat ungues; adeo hujuſce excretionis mechaniſmum, quantitatem, modum, ex Anatome, atque experimentis, Methodo Geometrica perbellè explicas. Neque dubito, quin ſi Pitcarvius viveret, in tuam conceſſurus eſſet ſententiam. Vide itaque quomodò dies naturæ judicia confirmet, ac rectè rationi, eæ nempe, quæ deducitur ab iis, quæ ſenſibus uſurpantur, optimè quadrent obſervata Hippocratica. Quamvis ſummus Praxeos Dictator, adeò periculoſam in acutis morbis catharſim eſſe docuerit, ut, vel in principio ægritudinis non niſi cum magna meditatione, molienda ſit, nihilominus, non ſolum tutò hanc in uſum revocari poſſe, ſed deberi, præcepit, cum turget materia. Quæ de hujuſce materiæ turgentia tradiderit Galenus, conſultò prætereo, cum ejuſmodi ſint, quæ non faciliorem, ſed majoribus implicitam difficultatibus purgandi doctrinam reddant, uberimoſque fructus, qui ab oraculo Hippocratis percipi poſſunt, corrumpant. Ipſe pro materie turgentia intelligo, cum adeſt ſuccorum morboſorum, vel in primis viis, vel etiam in venis abundantia; quæ

tametſi

tametsi ad ventrem sponte non irruat, vi tamen cathartici stimuli eo potest evocari. Ad illud utique serio attendendum est, utrum nec ne verè materiæ adsit turgentia; nam si iis pronas præstaremus aures, quæ tradidit Galenus, facilimè, & sepissimè deciperemur; cum ea, quæ pro turgentiæ signo tradidit iste, frequentissimè accidant; quin ob sanguinis circuitum nervorumque irritamenta, non possunt non contingere: rarius verò ea adest turgentia a qua indicatur catharsis, ut ex re, prudenterque quemadmodum assolet, Hippocrates addiderit: *plurima vero non turgent* (*a*). At tu oculatissime vir, nequaquam falleris, cum ea, quæ variolis, atque erysipelati supervenit febris, inde exoriatur, quia quæ per cutim exire debebat materies morbosa, in sanguine restitet, veramque venosæ materiæ turgentiam efficiat, quam alvo fusa tollere, ut interdum facilimum, ita semper salutare non esse, non potest. Quamvis dum librum tuum legerem, variolæ hic loci obtinerent, adhucque dum hæc scribo obtineant; nihilominus occasionem non habui tuam experiendi methodum; tum quia hic parum contra dictum morbum mulierculæ artem nostram valere putant; tum maxime, quia infantes, & parvuli tali morbo correpti sunt, quos difficile est dictis parentes

(*a*) aphor. I. 22.

rentes habere. Quamvis tamen contra febrim variolis secundario supervenientem experimentum minimè cæperim, experiri tamen potui, & quidem feliciter contra febrem variolosam, quæ tertio virgunculam adorta est. Res ita se habuit. Puella septennis discretissimo variolarum genere laboravit, jamque omnia in tuto erant, nondum tamen crustæ deciderant, quin illæ, quæ capillitium obsederant, adhuc penitus non exaruerant. Mater capillos puellæ præcidit, ut eam a pediculis, qui morbi tempore copiosè germinaverant, immunem redderet. Tempestas septembri inclinante intempestive frigidior. Puella domo exiit per binos dies, & sero diei secundæ revertebatur domum febri correpta. Post duos adhuc dies vocor, febreque intensa laborantem inveni, cum pulsu magno, & sopore. Quando ejulabat, seque ab internis doloribus percitam, gestu magis, quam verbis manifestabat. Oculi turgidi, rubentes, lachrymosi, lucem avversantes, dolentes, summa anorexia. Quod erat, conieci materiem nempe variolosam, nondum penitus discussam, atque à frigore intro pulsam, turbas eas, a quibus puella malè habebat, denuò excivisse. Tuis itaque præceptis, vir Doctissime, locum esse ratus, statim potiunculam præscripsi ex unciis tribus potionis, quam solutivam magistralem vocamus, cum

uncia una, & dimidia symp. de cichoreo cum Rhabarbaro. Puella sapore illecta purgans hausit, alvusque quater fluxit, absque tamen ulla euphoria. Nox itaque gravior, febrisque die sequenti ardentior: pulsus tamen constitit, licet ægra minimè mente constaret. Hoc die nihil peractum: die sequenti iteratò exhibetur purgans, alvusque octies, vel decies soluta, cum ventris doloribus. Quæ postremò exierant, erant ramentosa, & veluti dysenterica, undè necesse duxi mixturam præscribere ex confectione hyacinthina, & Diascordio in aqua succi cerasorum, & menthæ. Dolores siluerunt, noctemque mitius egit. Mane sequenti puella expergefacta, interrogatis optimè respondebat, febri utcumque ad tactum eademque permanente. Hoc die etiam sorbitionis illius, quam *panatellam* Itali vocamus, aliquid sumpsit, cum diebus anteactis nil nisi pauca frustula e dulciariis sumpsisset; ejulatus etiam, doloresque sopiti. Quæ hanc sequuta est die, potiuncula eadem catharsim repetendam curavi, at conatu irrito, cum puella medicamentum obstinatissimè respuerit. Dolo igitur rem conficiendam curavi. Dum noctu a matre potum peteret, ut potiunculam propinaret, edixi; resque ex voto successit; unde sæpius per diem sequentem absque dolore purgata est. Olida coluvies, quæ ab alvo exierat, diver-

ſicolor erat. Sero melius habuit: a primis noctis horis, uſque ad auroram dormiit: expergefacta cibum petiit, vel ingratis e lecto ſurexit, eamque foco aſſidentem inveni. Lentior adhuc inhærebat febris per aliquot dies, ſed fruſtrà catharſis imperata. Ob id grana xx. Rhabarbari, & decem ſcammonii in offis dulciariis involuta, & biduò conſumpta: alvus per tres dies bis, aut ter de die ſolvebatur, & optimè puella contra parentum ſpem convaluit, quibus dixi, non mihi, ſed celeberimo Medico Anglo ob filiam reſtitutam eos eſſe devinctos. 1735. Epiſtolam hanc Junio inclinante tranſcribebam, cum in muliere coroſa, & robuſta vidi nothum capitis cryſipelas ſolutum ab alvi eruptione, quæ a ſeptimo die morbi, uſque ad nonum fluxit.

XXII. Neque dubito, quin iterata catharſis, haud paucis in caſibus optimè reſpondere debeat. An verò in putridis febribus, eundem exitum habere poſſit, determinare non auſim. Id ſolummodo aſſerere poſſe mihi videor, talem methodum Hippocratica auctoritate minimè fulciri, quamvis, tu, vir ornatiſſime, in tua elegantiſſima Epiſtola ad Celeber. Mead. conſcripta, oppoſitam huic ſententiam tradideris: eam verò ut examinem, pro veritatis amore, ac pro tua humanitate, non dedignaberis.

XXIII.

XXIII. Ais primo, Hippocratem effata quædam comunia, quæ huic fortasse opinioni minus favere videantur, edixisse; sed ubi de hoc argumento distinctius differit, ad multas generis varii febres, hanc potissimum Medicinam adhiberi imperasse; postremo ea loca, & exempla adducis, quæ tuis assertis fundamento esse possint. Ipse vero repono, quod non effatis quibusdam comunibus iteratæ catharsi minus faventibus, sed ubique sibi constantibus præceptis docuerit Hippocrates, in febribus parciore manu porrigenda esse purgantia.

XXIV. Circa purgationem in febribus, quatuor Hippocrates respexisse visus est. Febrilis humoris quantitatem, qualitatem ejusdem: febrim ipsam; febrisque tempus. Ad quantitatem quod attinet, hæc dependet ab humorum febrilium turgescentia: qualitas, in humoris febrilis cruditate, aut coctione consistit; Febris vel mitis est, vel vehemens, atque acuta: tempora vero febris, vel sunt universalia, vel particularia: hæcque, vel nullam, vel aliquam ex Hippocrate præseferunt notam, qua, vel prohibeatur, vel possit institui purgatio. Turgente materia, purgatio molienda est (*a*) *at cum plurima non turgeant*, rarius ob hanc causam in febribus purgandum est. Ad cruditatem,

(*a*) aphor. 1. 22.

aut coctionem humoris, quod attinet, concocta ex noto aphorismo (*a*) *sunt medicanda non cruda*; quæ doctrina dessumpta videtur ex compendioso, & obscuriore libro de humoribus (*b*) ubi verbis iisdem exprimitur; cujus denuo 7. Epidem. tex. 32. Meminit; *subpurgandi sunt ventres in morbis, ubi purganda matura fuerint*. Ad febrim quod attinet; si vehemens hæc, & acuta sit, purgante medicamento attingi non debere, Cous non uno in loco docuit. Id patet primo ex libello de Medicinis purgantibus; qui tametsi genuinus Hippocratis fœtus fortasse non sit; nihilominus auctoritatem in hoc casu facere debet, quia aliis genuinis textibus Hippocratis apprimè quadrat. In aphorismis (*c*) raro purgationem instituendam esse contra morbos acutos præcepit, idque ipsum in libro de humoribus, tradidit; *raro autem in acutis multa ducere oportet* (*d*). In 2. de morbis, tex. 48. asperæ arteriæ aphtham curans, hæc habet; *at ventrem infernum medicamento ne moveas, si febres fortes corripuerint*. Ubi notandum, aliquibus exemplaribus mendum inesse, legitur enim: *si non febres fortes corripuerint*. Quibus verbis cum subdat; *si vero non*

(*a*) I. 22.
(*b*) .....
(*c*) sect. I. 24.
(*d*) textu. 3.

non corripuerint, lacte asinino subtus purgato, clarissime patet dictum textum in mendo cubare. Cum igitur febres vehementes raró purgantibus aggrediendas esse præcipiat; patet ipsum iis contraria tradere, quibus repetita purgatione docetur putridas febres esse expugnandas. Tempora febrium universalia si spectes, in principio sólummodo ex oraculis Hippocratis purgatio peragenda est. Sed id cum tanta circumspectione faciendum præcipitur, ut raro iis, quæ alvum ducant, vel morborum principia sint Medicanda. Trahunt etenim secum morborum principia tenues urinas? *Quibus in principio urinæ tenues, tales ne purgato, sed si visum fuerit, infusum per clysterem adhibeto. Hos sic curare conducit.... Medicamenta autem his ne exibeto. Si enim quid circa ventrem commoveris, urina non coquitur, sed absque sudore, & judicatione febris ad multum tempus durabit* (*a*). Trahunt nebulosas? Nisi, *& alia consulerint* (*b*) alvus non est ducenda. Si etenim cum urinis nebulosis aliqua, aut pleraque ex iis appareant, quæ textu 64. ejusdem libri acutorum memorantur; alvus minime erit ducenda. Circa tempora particularia, non quocumque febris tempore, sed extra accessiones solummodo propinanda cathartica; *inferni quidem*,

 ubi

(*a*) acutor. tex. 44.
(*b*) Ibidem.

ubi considisse videris (*a*). Et libro de locis in homine; *febrienti cibum ne offeras, neque sorbitionibus subtus alvum ducas* (*b*). Quanto minus catharticis? Hisce omnibus accedat, quod diebus imparibus purgantia vetarit. (*c*) & libro de humoribus (*d*) diebus illis purgantia inhibuerit, quibus morbus exacerbatur; adeo ut, si diebus paribus magis exarserit, iis ægros purgare non conveniat, idemque faciendum, si imparibus. Illud etiam subdendum est, quod in magnis anni mutationibus, & in magnis æstubus abstinendum esse a Medicinis purgantibus absolute præceperit. Cum igitur raro ex Hippocrate ea adsit materiæ turgentia, quæ purgationem exposcit; cum in cruditate humorum hæc in usum revocanda non sit; cum febris vehementia, principio transacto eam respuat; cum febrium principium plura secum catharsis prohibentia non rarò vehat; cum tempora febris universalia hujusce administrationem sæpissime non admittant; sequitur, quod non ex quibusdam Hippocratis universalioribus effatis; sed ex perpetua constanteque ejus doctrina, purgantia in febribus parcè sint adhibenda; quodque ea sententia, quæ crebrio-

(*a*) 7. epidem. 32.
(*b*) tex. 39.
(*c*) 4. de morb. tex. 21.
[*d*] tex. 3.

brioribus purgationibus humorales febres aggreditur, neque habeat Hippocratem, neque habere possit auctorem.

XXV. Ea, quæ pro tui asserti fundamento in laudata, & mehercle laudanda epistola adducis, illis, quæ ante dixi, minimè refragantur. Affers primo loco aphorismum 10. sectionis 4. *purgare oportet in valde acutis eadem die, si humor turget; morari enim in talibus malum est*. An ex hoc aphorismo elici potest, febribus ex Hippocrate, repetita catharsi medendum esse? An hinc infertur Hippocratem alvinæ purgationis in humoralibus febribus amantem fuisse? Sed alia a te allata loca examinemus, primoque textum 13. de affectionibus, quem totum hùc affere operæ prætium duco. *Æstate porrò hæc fiunt. Febris detinet fortis, & sitis; & vomunt aliqui bilem, aliquibus etiam infernè secedit. His in potu dandum est, & ad sorbendum quodcumque tandem tibi idoneum esse visum fuerit. Si vero bilis, aut pituita ad cor consederit* (hujusmodi febres cum cardialgia, haud raro per æstatem Venetiis visuntur) *aqua frigida, aut aqua multa pota vomat. Si vero venter non secesserit, clystere utendum est, aut subdititia glande* (usque huc de purgante pharmaco, ne verbum quidem) *morbus autem fit a bile. Liberantur maximè septima die, aut nona.* Sed jam ventum est ad circumstantias eas,

quæ pharmacum exigunt. *Si vero febre detinente non purgetur, neque deorsum, neque sursum, dolor autem affuerit per totum corpus pharmaco levi, aut potione deorsum purgato.* An tibi videtur Doctissime Freind, quod auctor, qui tunc solummodo leve pharmacum præcipit, cum neque vomendo, neque per alvum se se exonerando, æger totius corporis dolorem contraxit, illius generis Medicaminum fuerit amator, quæ alvum, & quidem copiose iteratoque solvunt? Sed nondum per omnes morbi casus excurrit: sequitur tex. 14. *si vero externæ partes non valde fervidæ fuerint, verum internæ, & lingua aspera, ac nigra* (en notas febris ardentis) *huic pharmacum ne dederis.* Sed vide etiam tex. 11. libri ejusdem, Hippocratem in causonide, non cathartico, sed clysteribus frigidissimis, morbum curare: *Venter autem curetur, & si quidem non subeant, infusa frigidissima per clysterem immittantur, aut quotidie, aut alternis. Hic autem morbus fit a bile.* Vides, ut quamvis a bile sint binæ hæ febres, nihilominus vel in unico casu, & quidem non absque plurium circumstantiarum concursu Hippocrates leve pharmacum præbeat? Haud igitur ex eo, quem citas loco, evinci potest, Hippocratem in febribus copiosam purgationem instituisse.

XXVI. Quod in Lypiria febre, quod in volvulo-

vulosa; quod in descendente Pleuritide, quæ omnia morbosam materiem extra animal habent, purgationem instituerit Hippocrates; tuæ sententiæ favere non potest, Vir Doctissime, qui probare intendis in acutis febribus ab eo purgationem sæpissimè tentatam, ideoque in casibus iis, in quibus humores in venis contenti febrili vitio laborant. Sed quia semel in morbis hisce catharsim celebravit, an hinc infers, assertum illud, quod sæpius præcipit alvum in putridis febribus esse ducendam, ab Hippocratis auctoritate patrocinium sibi adsciscere posse? sed ais, eum etiam in cholera alvum duxisse. In cholera sicca textu 62. acutorum, post clysterem pinguissimum, oleo, balneo, somno, & vino morbum curat. Quod si post hæc peracta dolores non remittant, lacte asinino purgat, quæ lenissima purgatio tuæ sententiæ favere non potest. Quod sì de cholera humida loqueris, invenio quidem eum vomitum præcepisse, & quidem præcipiti in casu, ut alvum sisteret, quia *secessus multo copiosior erat, quam vomitus* (adnotarat enim Hippocrates, quod vomitus, copiosiora, & diuturna alvi profluvia sistat) purgationem vero instituisse, aut admodum memoria me fallit, nunquam inveni. Jecoris, lienis, uteri morbos non moror, nobis siquidem sermo nunc est de purgatione in febribus; nihilominus asserere ausim,

ſim, neque in dictis morbis copioſa purgatione uſum. Nunc venio ad reliqua loca a te adducta, ex libro de internis affectionibus textu 38.; de locis in homine, 38. 39; ſecundo de morbis 35. 36. Locus de affectionibus internis, ut probe memineris, de morbo Regio pertractat: nihil ergo ad nos. Interim cogites, quod neque in hoc morbo copioſa purgatione Hippocrates uſus eſt, ut videre eſt ubicumque hujuſce morbi curationem proſequitur; quin duobus in locis, 64. nempe textu de victu acutorum, & 40. de locis in homine, arquatos purgare vetavit. Textu 38. ejuſdem libri, vult quidem, ut detur pharmacum cholagogum, ſed poſtquam ſudoriferum regimen nil opis attulerit, corpuſque gracile factum fuerit. Textu 39. ejuſdem libri, febrim in gracili habitudine curat, corpuſque prius tumidum facere præcipit; quod ſi non conducat, tunc medicamen exhibet: at audi ejus verba; *Hunc itaque medicamentum potare oportet, quod educat, qua febris magis hæret, ſive ſuperne, ſive inferne; & ſiquidem ſuperne hæreat, ſuperius, ſi infernè, inferius*. Textu 35. ſecundi de morbis, Icteri nigri curam proſequitur, pharmacumque deorſum purgans, exhibendum docet; ſed quando? Cùm quæ urinam copioſe ciere debuerant, juvamen non attulerint. In textu vero 36, quotidianæ intermittentis curam

tra-

tradit; at vide ſis, Doctiſſime vir; ne textus iſte, ſtet contra te. In hac febre nona die pharmacum equidem exhibet; at quale pharmacum? Si Martiano credimus, ſurſum purgans, idque abſolute præcipitur, ſupponit enim Hippocrates in hac febre, quam a bile provenire docet, os male affici. *At ſi os non afficiatur, verum ad immum ventrem tormen irruat; pharmacum deorſum purgans bibendum dato, & poſtea lac aſininum, aut ſerum, aut aliquem ſuccum.* Sed audi etiam quæ ſequuntur, ut a te ſtent; *Si vero febris, neque noctu, neque interdiu remittat, & ad contactum ſupernas partes habeat calidas, venter autem, & pedes frigidi ſunt, & lingua aſpera; huic Medicamentum ne dederis, ſed molli infuſo per clyſterem ſubluito.* Et ecce, ut in Hippocratis de catharſi doctrina, obſervationes præceptis, præceptaque obſervationibus ſibi ſocias porrigant manus.

XXVII. Sed antequam, epiſtolæ modum jam prætergreſſus, finem faciam, unum adhuc mihi liceat animadvertere. Videris tu, vir egregie, ideo catharſim repetitam contra febres laudare, quia in epidemiorum libris, ais, per ventris ſpontaneam reſolutionem pluximos febrientes reſtitutos. Tu itaque naturæ conſuetudinem imitatus, hanc, præ cæteris, evacuationem ad febres profligandas commendas: ita commentario 7. at te tunc

fugiit,

fugiit, quæ in primo commentario notaras: nempe de ægrotis a te ex Hippocrate relatis, per alui fluxum, tres solummodo; per sudores vero, decem evasisse. Cur itaque si naturales contra febres salutares motus irritari studuisti, sudorum potius prolectionem, quam catharsim, non commendasti? Sed instantiæ commentario 3. tu jam occurristi, ajendo, quod sudor, non ut curandi instrumentum, sed ut presagij nota perpetuò ab Hippocrate proponatur; quodque remedii sudorum cientis Hippocrates nunquam meminerit. Ad primum, Hippocrates respondeat, neque enim procax adeo esse volo, ut tibi viro celeberimo quidquam in facie pernegem; *morbi poro omnes solvuntur, aut per os, aut per alvum, aut per vesicam, aut per alium aliquem ejusmodi articulum, at sudoris species omnibus est comunis* (*a*). Ad secundum, respondeat Hippocratis genius Martianus, qui testatur (*b*) Hippocratem calidis remediis sæpe usum fuisse in pleuritide, peripneumonia, hepatitide, uteri inflammatione, aliisque calidis morbi; quin ait, Hippocratem in qualibet inflammatione interna (*c*) toto morbi tempore *emollientia*, & *rarefacientia* exhibuisse, quæ equidem sunt sudorifera antipyretica raro fallentia.

XXVIII.

(*a*) de victu acut. tex. 56.
(*b*) sup. 2. de morb. tex. 38.
(*c*) sup. 36. acutor.

XXVIII. Interim non nego; quod Hippocrates in morbis acutis purgationem non instituerit; id ab eo factum scio, atque ab ejus Interprete Martiano (*a*) aperte docetur. Contendo solummodo, neque Doctrinam neque febrium Hippocraticas curationes illi sententiæ favere, quæ docet copiosam, iteratamque alvi solutionem, qualis secundariæ variolarum febri medendo est, putridis aliis febribus convenire, ut tu vir Clarissime innuere videris. Utrum vero dicta methodus probanda sit, neque disserui, neque disquiro; verbis enim solummodo res minime agenda, sed Praxis consulenda. Quæ si responderit; quamvis talis methodus Hippocratica non fuerit; nihilominus obviis ulnis excipienda erit; non enim, ut recte Celsus (*b*) *tanti facere oportet auctorem; quam ægrum*. Cæterum scio illiusmodi febres dari, quæ non nisi iteratæ alvi solutioni cedant: sunt vero istæ, quas Mesentericas vocavit Baglivus, quæ incautis sub larva malignitatis imponunt, quæque ad longius tempus protrahuntur; quàrum exempla ex meis observationibus huc possem transferre, si id facere, operæ prætium ducerem. Sed utinam! tua methodus in cæteris quoque respondeat febribus; tuque vir Doctissime, qui variolas, qui mulierum morbos, adeo solidè, nervosè adeo expugnare doces;

morbos

(*a*) l. 3. c. 1.

morbos etiam illos, a quo plurimi pereunt, febres nempe, faciliore, qua huc usque usi sumus methodo expugnari posse demonstres. De universo quidem humano genere bene mereberis; sed de Clinicis potissimum, qui tibi novo Hippocrati se debere fatebuntur, quod minoribus difficultatibus impliciti, ac meliore facilioreque methodo securi; quæ eos maxime exercitos, sollicitosque habet, febrium humoralium cohortem, prosternere imposterum possint. Hoc ut præstare queas, superos, ut vitam, ut valetudinem, ut cuncta ex animi tui sententia tibi concedant, etiam, atque etiam rogare non desinam: Vale, tuoque ingenio, optimisque studiis, rem Medicam promovere ne cesses.

F I N I S.

DE

DE HYDRARGIRO,

Ejuſque interno uſu.

DISSERTATIO.

O

NIſi homines mentis acie, ingeniique viribus freti, experiundo, & tentando novis rebus ſtuduiſſent; nedum artes omnes, quibus ſocietates expoliuntur, vitaque hominum, & defenditur, & exornatur, horrida caligine obrutæ jacerent; ſed tanta barbarie premeremur, ut adhuc

Frigida parvas
Præbent ſpelunca domos, ignemque, laremque.

Nihilominus, eo ſemper fato nova in apricum prolata ſunt, & proferuntur; ut, vel plus juſto laudantes, vel plus æquo ea vituperantes inveniant. Si accipiant novæ rei ſors hæc indicta eſt; præſidiis iis certè, quibus hominum valetudo ſarta, tectaque conſervatur, vel in deterius prolapſa reſtituitur, remediis nempe, parata maxime eſt; adeo ut quotieſcumque novum aliquod medicamen e rerum incognitarum ſinu emergit; & laudes, & vituperia; & approbationes, & quæ illud reprobant; nec minus falſa Encomia, quam

veras

veras calumnias nanciſcatur. Divinus Peruvianus Cortex, ut alia ommittam, ad nos Deum favore primum advectus, horum, quæ aſſervi luculentiſſimum præbuit exemplum; qui, cum non minus laudaretur ab his, quam culparetur ab illis; tandem per vim obſervationum, atque experimentorum ſuis oſoribus adeo ora præcluſit, ſuiſque Declamatoribus Emomiaſtis oculos ita deterſit; ut utrique quod tandem valeret clariſſime cernerent, eumque periodicarum febrium potentiſſimum domitorem, ſummamque perniciem, non ita pridem declararent. Certe humanum genus ita effictum eſt, ut (phraſi Eucretiana utar) vel avidum nimis ſit auricularum, rerumque novarum, & mirabilium; vel ità tenax eorum, quæ aliquando approbavit, iiſque ita adhærens, atque infixum; ut quæ poſterius naſcuntur reſpuat, atque improbet; firmiterque teneat hodiernas naturæ facultates, vireſque ita ab veteribus deſciviſſe; ut cum iſtæ pulcherrimos, elaboratiſſimos, abſolutiſſimoſque fætus ediderint; primæ, non niſi indigeſta, futilia, vel ſi mavis, non fæctus, ſed embryones, & monſtra in lucem emmittant. Quamobrem, tametſi hominum aſſentator Ariſtoteles tradiderit (*a*) nos ſatis ad veritatem natos; nihilominus veritati propius acceſciſſe mihi videtur quidam e recentioribus magni nomi-

(*a*) 1. Rhet. c. 1.

nominis Philosophus (*a*) qui tradidit nos non solum iis carere, quæ ad veritatem, perducunt; sed e contra illis abundare, quæ falso deceptionique quam maxime famulantur. Quanti facienda sint medicamina, e vivo argento petita, nemo ex iis, qui hodie medicinam faciunt, est, qui id ignoret. Quod vero Mercurius nullo igne Chymico edomitus, sed crudus, & currens, ut ajunt, & tuto assumi possit, & utiliter quandoque assumatur, hoc novum est, & quia novum non paucos invenit, qui illi nimis impensi faverint, eumque tanquam universale remedium, veramque πανάκειαν deprædicent; pleroſque, qui illius usum noxium esse contendunt; alios vero, qui ut inutilem, & tanquam agyrtarum technam traducunt. Ipse, cum neque illis, qui ore rotundo eum reprobant, neque aliis, qui immodicis laudibus illum celebrant, acquiescere rationabile duxerim, nisi tum osorum, cum fautorum rationes examinarim; postquam, & auctores consului, & experimenta institui, & super observatis meditatus sum; in eam veni sententiam, ut Mercurium depuratam semper ex se innoxium, ita non raro summe utilem esse posse. Quæ itaque, ut ita crederem me impulerunt, hic depromam; ut si forte alicujus momenti futura sint, Medentes, partium studio posthabito, ea obviis ulmis

(*a*) Fontenell. Histoir. des Oracles chap. IV.

excipiant; Mercuriique internum usum, neque noscium neque inutilem esse confiteantur. Eorum igitur rationes prius examinabimus, qui noxium, venenenumque esse Mercurium putant; quorum sententia, cum non tam observatis, quam auctoritati innitatur; veterum medicorum hac super re auctoritas in medium est adducenda, videndumque, num ex hac quicquam opis, aut Patrocinii Mercurii osores jure sibi nancisci possint. A Græcis igitur veræ Medicinæ Parentibus, exordiamur.

II. Nisi ridiculare, Peradoxon certe alicui ridebitur, quod ex Hippocrate, in quo altum de Mercurio silentium, ipse eruere velim, an Mercurius Hippocrati fuerit venenum, nec ne. Id verò, quamvis ex Hippocratis verbis me eruere non posse certo sciam; ex ejus tamen observatis arguere forte licebit. Magnus bonæ Praxeos Porrens, in libro de ulceribus (a) ad ambustiones linimentum præscribit, cui minium inest. Si pro hoc minio nostra Cinnabaris, quæ vomica Mercurii est, intelligenda sit; ex observatione Hippocratica evictum erit Mercurium venenum non esse. Cum enim venena sanguinem immediate contingunt (quod in partibus cuticula denudatis, ut in ambustionibus, fieri necesse est) suæ deleteriæ qualitatis vim exerunt.

III. Præ-

(a) tex. 14.

III. Prænotandum itaque eſt adeo minii, & cinnabaris hiſtoriam obſcuram eſſe apud antiquos, ut ex ea diſcere ſolummodo queamus, Minii, & Cinnabaris nominibus eos promiſcue uſos fuiſſe. Hujuſce rei duos teſtes dabo, Plinium, atque Dioſcoridem; primus quorum ait: *Milton, Græci vocant minium, quidam Cinnabarim* (*a*): alter verò ſcripſit, eos manifeſtè errare, qui Cinnabarim (*b*) cum Minio confundunt. Locus igitur conjecturæ eſt, an Hippocrates pro minio cinnabari uſus ſit, nec ne. Ipſe puto pro minio Hippocratis cinnabarim noſtram intelligendam eſſe, argumentis duobus innixus, quorum primum, a probabili; alterum ab obſervatione ducitur.

IV. Probabile eſt idem Hippocrati minium fuiſſe, quod fuit Dioſcoridi, & Plinio: at Plinio, & Diſcoridi minium fuit noſtra cinnabaris: ergo probabile eſt Hippocratis minium noſtrum cinnabarim fuiſſe. Syllogiſmi, ut ajunt, major, nedum probatur ex judicio, peritia; & vetuſtate Dioſcoridis, qui procul dubio in re obſcura, & incerta, probabiliorem Doctiorum veterum opinionem (quibus jure cenſendus Hippocrates) amplexatus erit; ſed ex alia circumſtantia, quæ meæ conjecturæ quamplurimum favet. Ait Plinius (*c*) ex Theophraſto

(*a*) H. N. 6. 33. c. 7.
(*b*) l. 5. c. 58. (*c*) Ibidem.

(non eo, qui Aristotelis discipulus fuit, sed vetustiore, qui vixit anno 299. a Roma condita) minium a Gallia Atheniense inventum, jam tumque in Hispaniis, durum, & harenosum reperiri. Iste igitur Theophrastus temporibus Peloponesiaris vixit, quibus, & Hippocrates. Porrò minium Dioscoridis, & Plinii ex Hispaniis deportabatur, quod traditum quoque fuit a Strabone (*a*) asserente e Tudertania (Tractus Hispaniæ in Extremadura circa Pacem Augustam, nunc Badajos) cum melle, pice, & purpuræ granis, minium Romam deportari solitum. En igitur, quod probabile est minium Hippocratis, fuisse minium Theophrasti; quod cum esset minium Plinij, & Discoridis hoc vero, nostra cinnabaris; sequitur minium Hippocratis nostram cinnabarim fuisse.

V. Quod vero Discoridis, & Plinii minium nostra cinnabaris fuerit, ex eo luce meridiana clarius est, quod uterque tradat, e minio argentum vivum extrahi (*b*). Addo nunc Practicum ab observatione argumentum. Ea est cinnabaris nostra, quæ cum lene, doloresque tollens medicamen sit, ambustionibus convenire quam maximè potest. Cum contra minium e Plumbo antiquis ex Plinio (*c*) notum

(*a*) De sit. Orb. l.
(*b*) Dioscor. l. 5. c. 59. Plin. l. 33. c. 8.
(*c*) l. 33. c. 7.

tum; utpote detergens, atque exiccans, ob idque exedentes inter leniores Medicinas censendus, ambustis multo modo epitulari queat. Idque ego experimento didici aliquando, admovens Emplastrum de minio coxæ ambustæ; quod, ob maximum, quem inducebat dolorem, æger abiicere coactus fuit. Igitur, nedum venenum ex Hippocrate non est Mercurius, sed utilissimum pharmacum, quam maximè demulcens, doloribusque sedandis natum.

VI. Primus, quantum scio, e Græcis, qui de Mercurio expresse scripsit, fuit Pedatius Dioscorides Anaxarbæus M. Antonio, & Cleopatræ intimus, Medicæque materiæ luculentissimus Scriptor. Iste tradidit, Mercurium per os sumptum lethale venenum esse, quia suo pondere intestina disrumpit (*a*) Scripsit itidem, quod vitro excepto, quaslibet res alias dissolvat. An ex hac sententia est, quæ examen promereatur? Sat est eam exscripsisse, ut falsitatis arguatur. Galenus, Matthiolo (*b*) referente, non solum Mercurii Historiam non calluit, sed aperte fassus est, se nullum de tali metallo periculum fecisse, seque latere, utrum venenum esset, nec nè. Mirum! quod Doctissimus, Eruditissimusque vir nescierit, Antonium Musam Augusti Ar-

(*a*) Ibidem.
(*b*) seq. c. 45. l. 5. Dioscor.

chiatrum, hydrargiro contra vermes, ex Ælegan ti, Eruditoque Scriptore Pisoni (*a*) usum fuisse. Nihilominus, tametsi Galenus hydrargirum non norat, eo, & quidem interne usus est: adeò, vel ex Pergameno nulla venenata, deleteriave qualitate imbuitur Mercurius, Nicolaus siquidem Myrepsius, Clar. referente Listero (*b*) inter antidotos ad urinæ difficultatem, unam ex Galeno describit, cui sex insunt Drachmæ Cinnabaris. Quid verò Cinnabaris, nisi Matrix, & vomica Mercurii? Paulus Ægineta, eodem Listero teste, ad taphos dissolvendos, Emplastro ex cinnabari usus est. Non igitur venenum ex Græcorum medicorum observatione est Mercurius; talia siquidem vel externè admota, perniciosa sunt.

VII. Si e Græcis ad Latinos descendamus; tantum abfuit, ut Antonius Musa venenorum censui Mercurium adscriberet, quin eo interne, ut ante innui, contra vermes utebatur. An vero ex Celso, ut Lister laudatus putat, idem colligi possit, valde dubito. Inter Latinos, Latinissimus Scriptor adversus ferarum (*c*) morsus Emplastrum describit, cui minii Sinopici partes sex insunt. Putat Lister Sinopicum Celsi minium idem esse, ac nostram Cinnabarim, seu, si mavis, Dioscoridis,

(*a*) De regimin. magnor. auxil. Differt. 4. c. 1.
(*b*) De Lue Vener.
(*c*) l. 5. c. 19. n. 21.

ridis, & Plinii minium. Verum, cum Dioſcorides, qui in Aſia, & Ægypto vixit, quique facile Ponti, ubi Sinopes ſita erat, naturalem hiſtoriam callere poterat, ajat ex Hiſpaniis ſolummodo minium deferri; de Sinopico verò minio taceat: quin Strabo forte Sinchronus cum Celſo auctor, aſſerat ex Hiſpaniis minium Romam deportari; coniiciendum potius eſt, minium Celſi Sinopicum, fuiſſe quodam Sinopidis Rubricæ genus. Idque præſertim, quia teſte Plinio, Rubrica Lemnia (*a*) minium ſubliniri, atque adulterari ſolebat; quin eam antidotis omnibus famiiarem ait, ut pote, quæ præclara haberetur contra venena, & ſerpentium terreſtrium, marinorumque ictus. Sed en ex Latino Scriptore contra innoxiam Mercurii vim, peremptoriam auctoritatem? Plinius (*b*) docuit, argentum vivum eſſe omnium rerum venenum. At cum de eo tradat, quod *permanans tabe dira omnia metalla comedat, atque corrumpat*: cum hunc ab hydrargiro, quaſi rem diverſam diſcriminet (*c*): cum neſciat quid ſit cinnabaris, iiſque videatur aſſenſum præbere, qui ajunt cinnabarim ſaniem eſſe draconis eliſi elephantorum morientum pondere, utriuſque animalis ſanguine commix-

(*a*)
(*b*) l. 33. c. 6.
(*c*) H. N. l. 33. c. 8.

to (*a*); patet, ut parum argenti vivi naturam cognorit Plinius, ideoque nullius esse auctoritatis, quæ de hoc metallo ab illo traduntur.

VIII Arabes, qui Pyrotechniam excoluerunt quam maximè, omniumque primi illam ad Medicos usus traduxerant; eam de Mercurio sententiam temere, ut inter frigidiora venena, frigidissimum per eos censeretur Mercurius. Quæ injuriosa de hoc metallo opinio præteritis annis ita viguit; ut Primirosius (*b*) putarit Mercurio vim inesse sanguinem coagulandi; Franciscusque Joel apud Bonetum tradiderit (*c*) Mercurium tota sua substantia, & frigiditate venenum esse, ab eoque calorem nativum, & spiritum vivificum exstingui. Forte Primirosio huic sententiæ fovendæ fundamento fuit historia ab Avicenna, Ramazzino referente (*d*) locum tamen Avicennæ non citante, relata, de Simia, quæ Mercurium ebiberat, in cujus Cordis sinus sanguis in grumos concretus, inventus est. At præterquam quod, experientia auspice, & duce, opinio ista de summa Mercurii frigiditate purum, purumque est figmentum, nulli aliæ rei innixum, nisi garulæ Peripateticorum, Galenistarumque Doctrinæ de elemen-

(*a*) ibid. (*b*) l. 4. de vulg. errorib. c. 29.
(*c*) in Polyal. T. 3. de venen. c. 35.
(*d*) De morb. Chymic.

mentorum qualitatibus, quas jamdudum summus Hippocrates tradidit nullum in medicina habere fundamentum, neque hominem lædere (*a*); vim ejus coagulativam nullam esse, neque a Mercurio Simiæ sanguinem coactum, ex eo constare potest; quod Fridericus Garamanni dimidiam unciam Mercurii in jugulum canis absque ullo malo injecerit, affert (*b*). Alter quoque canis, Vepfew mirante, & referente (*c*) selibram Mercurii, unguentum, cui immixtus erat, lingendo, hausit, absque ulla noxa. Quod si a fumis Mercurialibus ii quandoque exoriantur effectus, qui in sanguinis stagnationem referendi sint, quibusque remediis sanguinem fundentibus, & coagula solventibus ex Ramazzino, Volckamero & Borrichio medendum est; istos per accidens, ut Scholæ loquuntur, edit Mercurius, non vero per se, ut constabit, cum interius hosce examinandi opportunior locus nobis aperietur.

IX. Sed cùm rerum humanarum vices ità comparatæ sint, ut multa, quæ jam cecidere renascantur; factum est, ut Celebris Scriptor, æquè Eruditus, ac peracris ingenii, dicaxque, Martinus Eister, Mercurium venenis connumerare, haud æquidem ausus sit; sed

(*a*) de veter. Medic.
(*b*) apud Bonet. T. 2. M. S. l. 8. P. 5. sect. 5. c. 65.
[*c*] De cicut. acquatic.

ſed ejus frigiditatem, quæ jam exulaverat, denuò in medium adduxerit; in eoque malignam ſtupefactivam qualitatem ſe comprobaſſe putarit (*a*) Ut eadem libertate, qua ille in alios utitur, & nos in eum utamur, neceſsè duco, ejus verba huc transferre; *Illud quidem fateor, aliam rem eſse hydrargyrum atque aliam cinnabarim: at in cinnabari hydrargiri vis nativa lenis, & benigna eſt, cum idem ex lapide excoctus, & ignem expertus, tantùm non venenum eſt, & inteſtina exedit. Immò ex Therebynthina, aut adipe articulis inunctus, linguam, fauces, totumque caput intumeſcere facit, ſalivamque vehementer movet, haud aliter, quam ex intenſo aliquo frigore, cui corpus exponitur gravedines, diſtillationeſque pituitæ haud protinùs oriuntur. Ad eundem modum venas quaslibet, præcipuè lymphæ ferendæ dicatas torpore quodam infeſtat. Rigorem autem torporemque genuinum eſse hydrargiri effectum cuilibet experiri licet. Etenim tu velim demittas digitum in dydrargirum: paucis momentis illum pallidum mortui inſtar membri extrahes. Immò vi quadam narcotica tremores, nervorumque reſolutiones ex ejus uſu aſſiduo exoriri neminem latet. Ad hæc, quod hydrargiro inunctis, ægrè adeò medicamentis purgantibus alvum moveri, ut ea duplo validiora, quàm antè facile perferant; ſcilicet a ſtupore ſpiritibus inducto*. Sed hæc *verborum copia caſta*. Om-

(*a*) De cicut. aquatic.

Omnis, quæ contrà sensus instructa parata est.

X. Hydrargirum intestina exedere, tàm falsum est, quàm quod falsissimum. Mercurio delibutis cruentæ equidem dejectiones non raró accedunt; id tamen ex eo evenit, quia tunc non ad os, sed ad ventrem ejus vis inuens, vasculorum oscula aperit, non exedit; ex, iisque patentioribus factis, crassior sanguinis rubra pars, exit. An si ulcera per intestinorum corrosionem excitata fuissent, statim hypnotico dato, ad cicatricem perducerentur? Aptius illi erat dixisse, fauces, & os a Mercurio, quandoq; exedi, non tamen verius; cùm vel ad longius tempus Mercurius crudus, ore exceptus, nullum corrosionis, ac simoniæque sensum excitet. Quod si Mercurio delibutis, ulcuscula quandoque accidant; id a copia acrioris salivæ (Venenum, nedum carnes, sed ossa non raró exedit) provenit; quæ cùm copiosior sit, quàm ut possit per oscula vasorum salivalium in os elutriari; tunicas, quibus coercetur distrahit, atque disrumpit: at adeo ferociter non se gerit Cinnabaris, utpotè cui Mercurii vis quidem inest, sed lenis, atque nativa. Vis cinnabaris utique lenior est, quia cinnabaris in pauca quantitate inest Mercurius. Verùm si ex Cinnabari Mercurius coadunetur, corporique, vel sub fumi specie, vel alio modo admoveatur, eadem omninò, quæ reliquus Mercurius edit, præstare scimus. Sed reponit Eister,

ster, vim hanc maligniorem ab igne tunc Mercurium acquisivisse: quasi immutabile Mercurii corpus, quiquam ab igne præter disciunctionem pati possit; quasique, o bone Eister, Mercurius, quem currentem Virginemque, ut ajunt, in Carniolæ fodinis inveniunt, eadem omninò non præstaret, ac Mercurius ad ignem excoctus. Sed ad fortiora argumenta, quibus torporem, frigusque summum Mercurio adstruit? Primum a simili, atque ab effectibus frigoris intensioris deducit. Ipse, non medicorum, sed Ambubajarum Collegia appello, an unquam a frigore, quantumvis intenso, ii effectus, qui a Mercurio prodeunt, quosque describit Lister, cernantur. In hoc saltem discrimen frigus inter, atque Mercurium intercedere vidisse debueras, Lister, proinque similitudinem tuam nihil probare; quod frigus omnia corporis vasa indiscriminatim afficiat: Mercurius vero, aut solummodo, aut præcipue Cymphatica torpida reddat. O singulare commentum! Unde quæso ita conjicis? An quia lympham in os eructant? Sed torpida reddita sui liquidi cursum, non solùm non promovere, sed inhibere deberent. Ita per exolutas partes liquidorum circuitus malè perficitur; sicque intestina paralysi tacta fæces minime expellunt. Commodius dicere poteras, quod solummodo parvuli lymphaticorum sphincteres (si tamen hisce

hiſce donentur) in os hiantium , torporem
ſentiant , lymphamque affluxuram minime
coerceant ; non ſecus ac ani ſpincter reſolu-
tus feces ſine ſenſu elabi ſinit. Sed irruptior
ſalivalis lymphæ ad os , & fauces , a qua vi
promoveretur ? Ut aſſeris lymphatica ſolum-
modo , non verò cætera corporis vaſa narcoſi
male affici : jure eodem aſſerere poteras , lym-
phaticorum ſphinctetes a Mercurio reſolvi ,
vaſa vero lymphatica fortius oſcillare , non
ſecus ac ab aſſumpto , aut illinito Mercurio
arteriæ fortius micant . Sed ſalivæ Mercuria-
lis fætor , unde lymphæ accedit ? Cum ne-
que narcotica , neque frigus , ſalivam fæti-
dam reddant ; aliam in Mercurio fætidam
qualitatem comminiſci debueras , quæ phæ-
nomenon explicares . Verum ad experientiam
provocat Eiſter . Digitus , ait , Mercurio im-
miſſus , pallidus , torpiduſque , extrahitur .
Idem , repono , accideret , ſi aureæ ſcobi immer-
geretur. Haud ſane Mercurii frigus digitum pal-
lidum reddit , ſed compreſſio a Mercurio pro-
veniens ; qua coarctata digiti immerſi vaſa ,
fluida , quæ calorem , coloremque partibus
impertiuntur , minime excipiunt . Eadem vi ,
qua digitum pallidum reddit , glaciem con-
ſperſus diſſolvit , pondere , nempe ; quo , ut
digitum comprimit ; ſic inter glaciei porulos
ſeſe adigens , congelatas diſſociat particulas .
Si tanto frigore donatus eſſet , nedum glaciem
non

non dissolveret, quin eam duriorem efficient; liquorumque congelationem promoveret. Sed frequens nervorum resolutio, qua capiuntur, qui frequentius metallum hocce pertractant, ac alvus difficilius catharticis in Mercurio delibutis respondens ; satis claras narcoticæ suæ qualitatis notas ob oculos ponunt. Ad primum alias respondebimus: Ad secundum, ajo, quod, qui Mercurio crudo per os usi sunt, alvo segniores minime facti sunt. Circa vero hydrarginosim passos: aut isti alvum pigriorem experiuntur, dum actu saliva exit, aut emenso salivationis studio. Primum verum est; sed inde evenit, quia in recte cedente salivatione, sicciora intestina evadunt, ob acquositates aliò abreptas: secundum vero, nedum gratis, sed falso asseritur; cum vel ii, qui post salivationem, robustiores, torosioresque evadunt, nulla præternaturali stipticitate afficiantur. Quid, quod vir spirituum destructor, hic spiritus torpore affectos somniat? At tanto frigori me tædet amplius immorari.

XI. Verum tametsi de Mercurii summa frigiditate opinio jam obsoleverit; nihilominus non pauci e recentioribus, illum adhuc summè noxium putant, Ettmuleri magni nominis Practici auctoritate freti, qui Mercurium esse corpus compositum, e fumo subterraneo resolutum, arsenicalique sulphure scatens tradidit; quo in sulphuro sitam esse Mercu-

rii

rii salivatoriam vim, idem Ettmulerus docuit. (*a*) Quod fæculentiæ minerales Mercurio immisceri possint, & scio, & video: an vero sulphur Arsenicalis indolis illius compositionem ingrediatur, vel Mercurio jam facto adjungatur, nunc examinabo.

XII. Tria sunt, quæ Corporum naturalium mixturam, & heterogeneitatem arguere possunt. Primum, genesis eorum, & incrementum: alterum, genitorum consideratio, & examen sensuum testimonio institutum: tertium, analysis. Plurimorum corporum genesis nobis incognita omninò est; sensuum vero examini, ignisque, aliorumque solventium vi, nullum est e corporibus, quod non subiici possit. Corpora mineralia, & genesim, & incrementum quam maximè nobis occulunt: animalia, suam genesim utique, sed non incrementa abscondunt: vegetantia, & genesim, & incrementa nobis ob oculos ponunt. Neque mineralium semina, neque incrementa nobis in propatulo natura posuit: animalium semina, sed non incrementa recondidit: vegentantium vero, neque semina, neque accretiones nos celavit. Et sane quis metallorum semina vidit unquam? Quis eorum nutrimenti materiem, aut organa, quibus nutritiva materies assimilatur, detexit? Ex eorum igitur genesi, aut incremento eorumdem hete-

(*a*) Pyrotechn. ration. c. 5.

heterogeneitatem arguere minime possumus: Cum vero animalia & Plantæ non nascantur, nisi, & materia seminalis, & id quod fæcundat ad animalis, & Plantæ genesim concurrat; jure arguere cuicunque licet, neque animalis, neque Plantæ corpus simplex homogeneunque esse, sed compositum e diversisque constans principiis. Si animalia, aut Plantas jam effictas examinemus, ex partium diversarum specie diversa, e ponderis specifici, figuræque diversitate; multoque magis ex instituta analysi, eorum compositio satis arguitur. At si metalla jam confecta sensuum criterio subiicias; cum nullam partium diversitatem; nullam in partibus speciem diversam; nulla Machinamenta; nulla organa; sed idem in partibus omnibus specificum pondus reperias; arguere nunquam probabili cum fundamento poteris, hæc nisi homogenea, atque in suo genere simplicissima corpora esse. Igitur, neque ex Mercurii aspectu, & sensuum testimonio, multo minus ex ejusdem genesi, atque incremento, quæ nos latent, ejus heterogeneitatem, & compositionem arguere poterimus. Restat, ut ex analysi Chymica id arguamus. At cum quocumque artificio, & Mangonio pressus, atque exagitatus Mercurius, idem semper Mercurius sit, nec in ulla decomposita, sed in Mercuriales solummodo minutas atomos resolvatur; evincitur,

citur; non jam corpus compoſitum, ſed primarium, ac ſimplex eſſe ab æterno conditore primævis temporibus, non minus ac aurum, effictum. Nobiliſſimus Chymiſta Boylius, jamdudum haſce Chymicorum, litterarum quidem, ſed non technarum rudium, impoſturas detexit; docuitque, neque ab auro neque a Mercurio (*a*), aut ſales, aut ſulphura, aut alia, ſive principia, ſive decompoſita ea voces, extrahi poſſe. Celebris quoque Alchymiſta Centivoglius (*b*) tradidit, tantam Mercurio ineſſe immutabilitatem, ut nulla vi, nullo artificio, niſi in Mercurium dividi queat. Nullum ergo ſignum haberi poteſt de Mercurii compoſitione, neque ex aliorum decompoſitorum mixtura Mercuriale corpus conficitur; quoindeque illius compoſitionem Arſenicale Sulphur minimè ingreditur.

XIII. Quod ſi ajat Ettmulerus, ſulphur Arſenicale Mercurio immiſceri, tametſi ejus compoſitionem non ingrediatur; ſcire averem, quo fundamento id proferat. Si enim, vel e minera Mercurii, vel prope, Arſenicum effoderetur, non ineptæ ſuſpicioni locus eſſet, illi ſulphur hoc Arſenicale poſſe conjungi. At, cum neque in minera Mercurii effodiatur Arſenicum, neque prope, quomodo Mercurio immiſceri poſſit, non video. Sed, vel

(*a*) Chymiſt. Sceptic. P. I.
[*b*] apud auctor. Boerrhaav. Chemiæ T. I. Titul. 2.

Ettmulerus os nobis sublinit, vel quid sit arsenicum ignorat. Materia, unde arsenicum fit, quæ Cobaltum est, effoditur; arsenicum verò, Doctissimo Hoffmanno (*a*) teste, non effoditur, sed per artem conficitur. Nisi igitur Ettmulerus me doceat, quomodo id, quod posterius est, & per artem fit, vel compositionem illius ingredi possit, vel illi jam facto conjungi quod ante, & per creatrices naturæ vires factum est; nunquam intelligere quibo, ut arsenicale Sulphur Mercurii compositionem ingrediatur, vel maturo Mercurio conjungatur.

XIV. At demus Arsenicale Sulphur Mercurii compositionem ingredi, vel Mercurio jam facto immisceri (Phantastica, ut plurimum, veterum Pyrosophorum Theoremata rationibus minime sunt aggredienda, cum eorum rationes non omnibus cerebris aptari possint, sed Phænomenis, & observationibus) nonne tum illi, qui sulphuri, cum qui arsenico peculiares sunt effectus observari in Mercurio deberent? Porro inflammabilitas ita propria sulphuris est, Clariss. ut Gugliemino (*b*) referente, substantia quælibet inflammabilis e mixtis educta, vel educibilis sulphur appellata sit. Idem quoque Celeber. Ettmulerus (*c*) Schrodærusque tradidere, per Sulphur

(*a*) Patholog. Gener. P. 2. c. 2. §. 12.
(*b*) De princ. Sulphur. Dissert. 1.
(*c*) Pyrotechn. rat. c. 4.

phur nempe nihil aliud intelligi, quam pinguedinem facile inflammabilem. At Mercurius, nedum inflammabilis non est, quin, ut videbimus, ignis vires valide sustinet; neque ex eo ulla inflammabilis substantia educitur, fortiusque igni resistit, quo purior est. Idque, quod ex Mercurio tandem vi ignis abreptum in auras evolat, sub specieque vaporis, aut fumi abit; nil nisi Mercurius est, qui madefacto corio collectus, in majoresque globulos denuo migrans, non minus, ac ante evolaret, ignis vires valide sustinet. Non ergo Sulphur inest Mercurio. Quin neque quidpiam Arsenicalis indolis, si effectus spectentur, in Mercurio latet: Arsenici sub crassiore mole sumpti, nemo est, qui effectus non noscat; qui cum Mercurium assumptum non sequantur, necessario dicendum est, huic Arsenicales moleculas minime inesse. Præterea, ut ex experimentis per me institutis, atque in quadam Dissertatione Metheorologica anno 1726. publici juris factis, constat, arsenicum aquæ congelationem maxime promovet: Mercurius autem glaciei inspersus glaciem dissolvit. Fumi vero, atque aura Arsenicalis, humores corporis nostri coagulant, lentamque febrim inducunt, quæ tandem homines e medio tollit. Sic execrabilis aqua Famigeratissimæ Neapolitanæ Veneficæ, plurimos letho dedit: sicque a fumis

Arsenicalibus Celebris Chymistà Tachenius ; Ramazzino (*a*) referente, lentam contraxit febriculam. Tantum vero abest, ut Mercurius sit venenum febriferum, aut humores congelet, quin ad oculum eos potentissimè resolvit; ac Ramazzino (*b*) Ballonio, Fernelioque testibus apud eumdem Ramazzinium, summum sit antipyreticon. De ejus vi antifebrili, ipse ante aliquot annos singularem observationem habui, quæ hic sibi locum exposcit. Sacerdos ex Augustiniensium familia sexagenario major, Chymicorum, Paracelsique fautor; per totam æstatem sub cura Senioris Medici febri laboraverat, quæ pro Quartana continua a Medico habebatur. Religiosus iste, morbi, remediorum, Medicique pertæsus, quid ipse tunc Tyro valerem experiri voluit. Post itaque exhibitum Emeticum; pillulis quibusdam antifebrilibus, quarum basis est cortex Peruvianus, Quartanarius paroxismus edomitus, remanente, quæ seniori Medico imposuerat, catharrali febricula, contra quam tales præscripsi pillulas, semel per diem jejunio summendas.

℞ *Calomelari River.* gr. viij.
Sal volat Viper. gr. x.
Extrac. Melis ℥ i.
Tinctur. Alcherm. *parum*
m. f. bol. iiij. *aur.*

Post

(*a*) De metall. c. 15. (*b*) De morb. Chymic.

Post tres dies, levior Phyalismus excitatus; qui ægro imponebat sub specie facilioris catharri expuitionis, & febris omninò profligata. Notandum obiter, quod animalium salia in Mercurium nullam vim exerant. Cum igitur a Mercurio ii non prodeant effectus, quos edere solet Arsenicum, vel sub auræ subtilissimæ specie, vel sub mole crassiore sumptum; rationi consonum est coucludere, Arsenicalem deleteriam qualitatem Mercurio minimè inesse. Quod verò a Sulphure Arsenicali salivatoriam vim deducat Ettmulerus; unum est ex iis, quæ Pyrophili, dictatorie quidem, sed nullo, neque ratiocinio, neque experimento innixi, proferre solent. Cum enim per ignis vim evolaverit e Mercurio Sulphur, corpus inflammabile, quodque non difficulter evolat; nulla amplius a Mercurio expectari poterit salivatio. At lippis jam, & tonsoribus notum, Mercurium dulcem redditum ignisque sublimatorii violentiam sæpius passum, ptyalismum ciere. Quid igitur? An ab Arsenicali sulphure, salivatoria hydrargiri vis dependet? Minimè ædepol. Unde ergo? Id mihi adhuc ignotum esse confiteor; meque magis puderet ad hujusce effectus rationem reddendam, quicquam e cerebro meo comminisci; quam meam sincerè ignorantiam confiteri. Ut scio magnetem ferrum trahere, atque ad Septentriones converti: in auro in-

finitam, propè dixerim, esse ductilitatem; lumen corpus esse, nec sensibus ponderare; metallum de quo agimus, fluidissimum corpus esse neque madefacere; sic scio Salivationem ciere, hujusce tamen effectus, neque veram neque probabilem causam, cum iis, qui sibi fucum facere nolunt, me nescire cognosco. Concludendum igitur, quod nulla deleteria qualitate sit imbutus Mercurius, sed omnis expers virulentiæ, ut Doctissimus quoque Hoffmannus, Mercurialibus remediis cæteroquin non amicissimus, in suis operibus, docuit (*a*).

XV. Non satis tamen est venenosa, & deleteria qualitate exuisse Mercurium, nisi etiam noxia, & morbosa spolietur. Hanc verò habere posset ab acido illi contrato, licet non Arsenicali, ut Schrodærus (*b*) docuit; aut a corporibus aliis salinis, metalisve imperfectis illi consociatis. Etmulerus ait, quod si Mercurius carbonibus superjectus in avolatione crepitet, signum sit, imperfecta metalla illi adhæsisse (*c*): Borrichius vero (*d*) ex Mercurii super prunas conjecti crepitatione, arguit eum impuritatibus scatere. Inde etiam Ettmulerus (*e*) conijcit acidum in recessu Mer-

(*a*) In Scholio ad §. xv. c. 2. P. 2. Pathol de venenis.
(*b*) Sect. 3. c. 11.
(*c*) Pyrotechn. ration. c. 5.
(*d*) apud Bonet. T. 2. M.S. l. 8. P. 4. Sect. 5. observ. 66.
(*e*) Ibidem.

Mercurio adhærere ; quod ſi Mercurio vulgi probe purgato Chalybeæ laminæ immittantur , vaſque claudas ; brevi poſt in rubiginem corolæ inveniantur. Bonichius idem narrat experimentum, addita tamen circumſtantia , qua de Ettmulerus non meminit ; vas ſcilicet Soli exponi debere. Ante hoſce Schrodærus ſcripſerat , Mercurium Martem corrodere.

XVI. Quamvis non negem corpora metallica, & ſalia impura poſſe Mercurio adhærere , ex allatis experimentis id tamen evinci non poſſe contendo, cum primum veritati minime reſpondeat ; ſecundum quoque vitio eodem laboret ; prætereaque ſi reſponderet , non id tamen , quod volunt Ettmulerus , & Borrichius, probaret.

XVII. Carboni ardenti Mercurium ad oculos purum impoſui , leniterque afflavi ; ſed cum carbo noſter lignorum , præſertim cum flatu urgetur , maximè crepitet , diſtinguere non poteram , an crepitus , qui edebantur , ab evolante Mercurio, an verò a prunæ ſcintillulis ederentur. Ob id ignitæ ferreæ paliæ, eæque luculentiſſimo carbonum igni impoſitæ , in quem follis grandior aſſidue afflabat , Mercurium impoſui . Quid inde ? Iſte , qui ab ardente carbone , haud difficulter , licet non citò , evolare viſus erat , pallæ impoſitus, tanti ignis vim , non ſine conſtantiæ nota, ferebat. Licet tamen lente diminueretur,

 nul-

nullos unquam crepitus edidit. Eidem pallæ Mercurium ad oculos impurum, scoriisque refertum (erat siquidem fæx depurati, sæpiusque per Corium trajecti Mercurii) imponebam. Iste verò, sine ulla decrepitatione citius evolabat. Non ergo, neque purus, neque impurus Mercurius evolando crepat; proindeque ex hoc experimento veritati minimè respondente, de heterogeneis corporibus, salinisque, aut semimetallicis fæculentiis Mercurio immixtis, judicium ferre minimè possumus.

XVIII. Ad secundum, quod attinet, experimentum, laminam, non chalybeam, sed ferream, lima expolitam, atque splendentem, chirotecis digitos armatus, Mercurio fæculentiori immisi, eamque in loco, quo Sol non pertingeret, reposui. Post quinque dies illam invisi; licetque obscurum colorem a fæce probabiliter plumbea, contraxisset; nulla tamen adhuc rubigine corrodebatur. Eam itaque Soli exposui primis Septembris diebus (*), quibus hoc anno imbrifero, fruges fermè ussit; sed post octo ab expositione dies, nulla adhuc rubigine inficiebatur. Eam per totum mensem Mercurio immersam (cum immersam dico, non intelligo eam subtus Mercurium subsidisse, Mettalo siquidem vivo, semper innatabat) relinquo; sed obscuriorem equi-

(*) 1735.

equidem, & plumbagine infectam; nulla verò rubigine corrosam e vasculo extraxi. Non ergo Mercurius ferrum edit. At ponamus Mercurium ferro rubiginem inducere: forte hinc deduci posset aliquid salis, aut acidi in Mercurio latitare? Ergo Salia hæc Martem rodentia in purissima quoque aqua Fontana latitabunt. Cum enim ejusdem laminæ frustulum lima expolitum, & splendens aquæ in vase vitreo, quod postea duplicata papyro exacte obsignavi, immisissem; postridie tanta rubigine lamina corrosa erat, ut ad fundum rubigo sideret, vaseque succusso tota vasis aqua rubigine conspurcaretur. Cum ergo ferrum, ab insulso etiam liquore rubiginem contrahat; nonne satius esset dicere (siquidem lamella a Mercurio rodatur) ideò æruginem contrahere, quia fæx aquea, quæ inest Mercurio, teste vetere, & magno Chymico Geber (*a*) illi rubiginem inducat? Sed, nedum lamella aquæ immissa, verum, quam in vacuo vasculo, probe postea obsignato, reposui, rubiginem contraxit. Fundo angulosi vasculi hæc ita adhæsit, ut non mediocri succussione, ad eam ab adhæsione divellendam, opus fuerit. Extracta inde e vase, extremitate ea, qua vitro hæserat, rubigine manifeste infecta apparebat. Non ergo ex hisce experimentis quicquam haberi potest, quod acida,

(*a*) apud Borrichium l. cit.

da, aut alius generis ſalia in Mercurio adeſſe commonſtent. Ut rem novo ſubijcerem examini, Untzerum perquiſivi, qui de Mercurii Anatome ſcripſit; eum tamen Venetiis Honeſtiſſimus Bibliopoſa Coleti, nullo ſtudio, aut diligentia, invenire potuit. Quamquam, ut ante aſſervi, Nobiliſſimus Coylius, & Centivoglius aſſeruere, e Mercurio, nil niſi Mercurium extrahi poſſe; ſupervaneum omnino ducam exquirere, quid hac ſuper re reliquus Chemicorum chorus cecinerit.

XIX. Huc uſque verbis, experimentiſque extra corpus humanum inſtitutis, evictum eſt, neque venenatam, neque malignam ullam qualitatem Mercurio inexiſtere; nunc vero experimentis intra nos factis conficienda res eſt, hiſtoriiſque ejus detractoribus ora obſtruenda. Ommiſſis, quæ ex muſa, & Galeno ante recenſui; Nobiliſſimus, Conſularis, Elegantiſſimuſque Scriptor Auſonius, Patre Medico natus, Mercurii, non ſolum ſine noxa, ſed contra toxicum utiliter hauſti, meminit, quam lepidam hiſtoriam non fædare non poſſem, ſi illam aliis, ac auctoris verbis enarrarem:

Toxica Zelotypo dedit uxor Mecha Marito,
nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit Argenti lethalia pondera vivi,
cogeret, ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,

An-

Antidotum sumet, qui sociata bibet
Ergo inter se se dum noxia pocula certant;
cessit lethalis noxa Salutiferæ.
Protinus, & vacuos alvi petiere recessus,
lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor,
& cum fata volunt, bina venena juvant. (a)

Certum itaque est ex hoc Epigrammate, Mercurium fuisse sine noxa deglutitum. Quod vero discretum sit venenum: quod toxico tociatum evadat antidotum, id ex propria sententia tradidit Ausonius. In quem, si Gramaticomasticem agere nunc locus esset, subdere possem, Epiphonema, quo claudit Epigramma, neque utiliter, neque superioribus cohærenter appositum. Cum enim ex Ausonio, naturaliter Antidotum sumat, qui Mercurium toxico sociatum ebibit; non opus erat peculiari Deorum cura, neque vi ireluctabili fatorum, ut uxor crudelior prodesset, & bina venena juvarent. Matthiolus (b) retulit, mulieres comitatus Goriciensis, Hydriæ forte proximitate occasionem præbente, (quam, ut obiter moneam, male auctor Boerhaavianæ Chemiæ Insulam appellat) & sine noxa, & feliciter uti ad laboriosos partus adjuvandos. Henricus ab Heers (c) ut rarissimam

(a) Epigram. 10.
(b) apud Pison. De regimin. magn. aux. Dissert. 4. c.
(c) Observ. rarissim. apud Bonet. T. 1. M. S. l. 3. sect. 8. c. x

ſimam obſervationem adnotavit (forte enim puⷶ tabat huic metallo venenatam qualitatem inesse) Mercurium crudum ad libræ ſenſiſſem ſine noxa deglutitum fuiſſe. Samuel Ledelius (*a*) qui eamdem de Mercurio ſententiam fovebat, hiſtoriæ meminit de hoc remedio (ipſius verbis utor) contra Gigantæas mulieris obſtructiones feliciter exhibito. Ut vero oſtendat, non ſine periculo tale remedij genus adminiſtratum, ſubdit: *mulierem, priſtinam ſanitatem adeptam cum Theoremate, audaces ſæpiuſcule Fortunam adjuvare.* Tanti eſt alicui præconceptæ opinioni faviſſe, ut quæ naturaliter contingunt, cum noſtræ ſententiæ minime congruunt, vel in Deum, vel in Fortunam refundantur! Georgius Marchio Brandemburgicus (*b*) ad ſitim extinguendam, vini loco lagenam Mercurio plenam arripuit, & ebibit, Mercurio ſine noxa per guttur inferius reddito. Ex Johannis Paterſonii Hain (*c*) relatu, viginti unciæ Mercurii abſque ulla noxa intra corpus per ſex dies delituere. Scio, binas Mercurii libras per ſex dies intra inteſtina latitaſſe, ſcripſit Beloſtus (*d*) qui etiam, ex recenſione Domini Le Due, tradidit, Smirnæas mulieres, eum impune ſum-

(*a*) apud Bonet. ibidem
(*b*) Thom. Jordan. l. 3. de peſt. phænom.
(*c*) T. 2 M. S. l. 6. ſect. 6. Obſerv. 30.
(*d*) p. 52.

ſummere ad faciei pulchritudinem concilianc dam. Relatum mihi eſt ab viro ſpectatæ fidei, Cerdonem quemdam Venetiis, vinum, quod in loco ſubterraneo æſtivo tempore cujuſdam Pharmacopolii miniſtri condere ſolebant, clam ebibere, & ſuffurari ſolitum: Cum vero miniſtris techna innotuiſſet, vinique loco, vas Mercurio plenum repoſuiſſent; hunce Maſtigiam bibendi aridum, moræque impatientem, pleno gutture hauſiſſe Mercurium; cujus frigiditate in bibendo percepta, præ timore, quaſi exanimen redditum ejulaſſe, eoque miniſtros illum irridentes accurriſſe, qui graphicum ſicophantam, alia ſicophantia non minus graphice deluſerant: nulla vero noxa a Mercurio Cerdoni illata. Vir Genere, ingenio, moribus, honeſtateque Clariſs. mihi narrabat, ab ejus Nobili condiſcipulo febri exercito, Bononiæ, aquæ loco Mercurium noctis tempore abſque ulla noxa ebibitum. Quid plura? Si Sulphur Arſenicalis indolis in eo lateret, vel ſi maligna miaſmata illi intime commixta forent; tantum abeſt, ut volvuloſi ab ejus pondere medelem caperent; quin a ſtimulis Arſenici, aut aliorum ſalium, irritatis, corroſiſque inteſtinis, citicis præ gangræna perirent. Eodem fato functi fuiſſent, qui hoc anno a verminoſis Pleuritidibus decumbentes eſempto Mercurio, feliciſſime evaſerunt. Ex iis vero, qui,

qui, vel animi, ut ita dicam gratiâ; superioribus Mensibus Venetiis Mercurium sumpserunt, quot, quæso, non periissent, vel difficilimis morbis impliciti non fuissent, si deleteria qualitate imbutus esset Mercurius? Quod si post assumptum Mercurium adversi aliquid aliquibus contigit; videndum, quibus morbis exerciti, aut obnoxii Mercurium sumpserint, atque, num iisdem, vel non sumpto Mercurio, capiendi fuissent: Quod, si Medico cum criterio, partiumque studio posthabito, fiat; nullus dubito, quin insón Mercurius plenis suffragiis non sit declarandus: Quoniam itaque, & a Venenorum censu est proscribendus Mercurius, & repurgatus sine ulius noxæ suspicione potest hauriri, restat, ut de ejus vi Medica differamus.

XX. Ut quam minime possum errem in disquirendo de Medicis Mercurii viribus; necesse duco quorumcumque Scriptorum autoritate posthabita, una cum hypothesibus ab auctoribus effictis, tria, majore qua potero acrivia examinare. Primo igitur, assertam Argenti vivi volatilitatem: inde, mutationes, quas a vi vitæ in corpore nostro pati potest: tertio loco ejus ingressum in sanguinem examini subiiciam. Si igitur νουμενις opponendo φενομενα constare faciam, quæ præstare non possit Mercurius; ni meum, qualecumque sit, me fallat κριτήριον; quid efficere

queat,

queat, clare elucescet. Age igitur, ejus asserta volatilitatem examinemus.

XXI. Cum ex Statices principiis scirem, vim inertiæ proportionalem quolibet in corpore esse debere quantitati materiæ; insuperque non ignorarem, nullum corpus ex iis, quæ noscimus, post aurum sub dato volumine majorem materiæ quantitatem præ hydrargiro continere; non poteram iis acquiescere, quæ de ejus maxima volatilitate circumferuntur. Volatilitas etenim, cum nihil aliud sit, quam aptitudo corporis, vel per minimam vim aeris, aut caloris ad evolandum; intelligere non satis poteram, quomodo Mercurius, qui, si Nobilissimo Boglio credimus (a) aere 14000. vicibus gravior est, vi minima ita dividi posset, ut per hanc divisionem proportio majoris inæqualitatis superficiei ad pondus, quæ nascitur, ea evadat, per quam ammisso ferme ad infinitum pondere, cum non adeo imminuta superficie, per aereum liquidum natare, atque evehi facilime possit. Neque huic meo ratiocinio obstabat, aurum corporum notorum ponderosissimum (quinquies Mercurium pondere excedit) fixissimumque; quodque vim ignis vitrariæ fornacis per duorum mensium spatium, absque ferme ulla ponderis imminutione, ex Gastonis Cla-
vei

(a) Experim. 36.

vei experimento ſuſtinet (*a*), poſſe, non ſolum ita per menſtrua corrodi, dividi, atque extenuari, ut in iis evehatur, cumque iis chartæ emporeticæ poros penetrare non reſpuat; ſed etiam abſque calcinatione, aliarum volatilium ſubſtantiarum ope in ſublime elevari (*b*) Quanta enim vis ignis! quanta corporum ſolventium activitas ad id præſtandum requiritur! Metallum etiam de quo agimus, vi ſpirituum acidorum ad minima redactus, facile ſublimatur. At quemadmodum nemo aſſereret aurum eſſe corpus volatile, quia maximorum ſolventium ope, maximaque ignis vi in ſublime vehitur; ſic neque volatilioribus corporibus jure Mercurium adſcribet, tametſi efficaciſſimis admotis præſidiis tandem in auras abeat. Ob hæc cum legerem, vel audirem, aurum in crumene a Mercurio in altera crumena exiſtente dealbari: vel in ore aurum detentum flavum ammittere colorem, ſi Mercurio digitus immergatur eoque Clariſ. apud Veronenſes Medicum Rotarium (Si vera fama fert) in Rireto Mercurium geſtare ſolitum, ut extra metalli activitatis, volatilitatiſque ſphæram (Mercurialia amulita a nugarum venditoribus collaudata conſultò prætereo) noxia detrudat miaſmata; leviter collo inflexo, muſculiſque pàtientiæ contractis, an-

(*a*) apud Boyl. Chymiſt. Sceptic. P. 1.
(*b*) Ibid.

annuebam. Quid enim? An rationibus solummodo confisus, assertis factis obviam ire poteram, potissimum, cum animum induxerim, in physicis rebus, oculis magis, quam opinionibus credere? Haud equidem. Sed bonis avibus, Doctissimus Freind ad me delatus, qui ait, perperam volatiliorum corporum censui adscribi Mercurium (*a*) ansam dedit, ut illius assertam volatilitatem examinarem; quo instituto examine, novi, male a Medicis, & Philosophis, ut contra recte fit a Pictoribus, atque Poetis: Mercurio talaria necti.

XXII. Subiit mihi itaque primo vulgare experimentum de aureo anuli circulo a Mercurio dealbato, qui denuo flavum suum colorem recuperat, si ardenti candellæ imponatur. Anulum igitur ita dealbatum candellæ flammæ exposui; qui niger primo evadebat; ac quamvis satis diu illum candellæ vertici admovissem, nigrore prius, quo infectum erat deterso; adhuc, licet remisse, albescebat, neque suum pristinum recuperabat colorem, nisi postquam iteratò illum flammæ exposuissem. Non igitur, neque per vim ignis fortioris, adeo facile in auras abit Mercurius. Idem metallum ignitæ ferreæ pallæ impositum, eæque in vehementiore carbonum igne detentæ, satis constanter vim ignis sustinuit; eoque constantius, quo

(*a*) Prælect. Chymic. 4.

purius fuit, neque facile abiit, ut volatiliora evolant corpora. Cum legissem in Chemia Celeberrimo Boerhaavio adscripta, Merçurium ad calorem ebullientis aquæ evolare; accepi unciam dimidiam Mercurii, eumque aquæ ad ebulliendum commisi. Postquam per horam ebuilliisset, aquam per decantationem effudi, Mercuriumque probè exiccavi, qui lanci denuo impositus, exactissimè primum pondus æquavit. Huic tamen experimento fidere, vel in eo acquiescere non sat censui; siquidem sciebam dari corpora illiusmodi, quæ de se effluvia, & quidem copiosa, atque ad longius tempus emmittunt, absque eo quod de suo pondere ferme quicquam deperdant. Sic E. E. Moschus suaveolentibus suis effluviis totam domum odorosam reddit, sine sensibili ponderis imminutione. At, quid Moschum refero? Corpora metallica aliis substantiis manifestissimè consociantur, absque eo quod corpora, quibus nupsere ponderosiora evadant. Non ne fieri e contra potest, ut a suo metallo abradantur, absque metalli sensibili ponderis imminutione? Nunquam sine laude recensendus Boylius, quia habuit mineralem aquam manifestè ferro saturatam, quæ aquæ puræ pondus minimè excedebat; putavit (*a*) posse gemmis admisceri substantias metallicas absque gemmarum

(*a*) De Gemm. origin. & virtut. sect. 1.

sum ponderis incremento. Cum ergo legissem aquam Hermeticam Salivationem aliquando excivisse (quam rem tamen ; nisi videro , non credam) suspicatus sum, Mercurio miasmata adeo subtilia, tenuia adeo esse posse ; ut quamvis de sensibili Mercurii pondere nihil demant ; nihilominus e Mercurio evolent, atque expirent, aquamque Mercurialem reddant sine Mercurii sensibili ponderis imminutione . Ad hoc itaque mihi adimendum scrupulum, tale experimentum institui .

XXIII. Unciam Mercurii in vitreo nodulo posui : nodulum postidiè aquæ ebullienti immisi, noduliqe osculum aureo nummo cooperui, quem eo loci reliqui , donec aqua deferbuit . Cum prima vice ab impetu aquæ ebullientis nodulus tremeret, caderetque ; tenacula vice altera eum ; ne præceps ageretur ; detinebam ; sed nullo argenteo colore nummus aureus albescebat . Mercurius, qui, vel sub specie vaporis, & fumi semper Mercurius est ; si per calorem ebullientis aquæ in sublimo evectus fuisset , auro super objecto adhæsisset, ejusque flavedinem suo albore commaculasset . Advertendum tamen est , ut vasis os a moleculis Mercurialibus probe detergatur ; namque si illi inhæserint, in auri porulos sese insinuabunt, quod refundi facile postea poterit in Mercurii particulas a vi caloris in altum evectas ; ut mihi prima vi-

ce, qua experimentum institui, contigisse notavi. Ista perscripseram, quin Dissertatiunculam ad umbilicum perduxeram, cum ad me allata est genuina Magni Boeraavii Chemia, ejus nomine, & manu signata. Ait laudatus auctor, non ad calorem aquæ ebulientis, sed ad paulo majorem eo, quo aqua ebulliens calescit, Mercurium in sublime ferri. Cum igitur satis constanter ignis vim sustineat Mercurius, neque per vim ignis remissiorem in auras evolet; dicendum ejus volatilitatem gratis quidem afferi, sed experimentis minimè comprobari. Nunc ad ea veniamus, quæ a viribus vitæ in nostro corpore pati potest.

XXIV. Pleraque e corporibus, quæ extra nos dissolvuntur; vel resolvantur in corpora heterogenea, quæque alterius indolis spectanda se objiciant, ac corpora ex quibus extracta sunt; vel solummodo dividuntur, adeo ut in homogenea abeant corpuscula, quæ ejusdem sunt naturæ, ac integrum corpus, quod prius componebant. Cum V. G. terrestri gleba exsiccata, vel pistillo, vel molendo in subtilissimum pulverem redigitur; atomi pulverulentæ in quas resolvitur, ejusdem omnino sunt indolis, ac integra gleba. Si vero analysi Chymica hæc resolvatur; in substantias abit a terrea indole omninò dissimiles. Axioma universale apud Pyrosophos est,

cor.

corpora quælibet in ſua principia, ſeu tria, ſeu quinque reſolvi. Verum, ut pleraque e Pyroſophia deprompta ad examinis trucinam penſitata minime vera eſſe conſtat; ita, & hoc univerſale poriſma fallax falſimonio invenitur; cum Inſigni Boylio notante (a) non pauca ſint corpora, e quibus Chemica principia educi minime poſſunt. Inter quæ (ut taceam de oſſercolla, arena, Lignis putridis, aut quæ diu æquor ſulcarunt, de Talco Veneto, de Senitide) jure cenſet aurum, atque Mercurium. De hoc ultimo igitur loquendo, eum, quantumvis Stygiis aquis corrodas; in ſublimatum corroſivum, aut dulce, ſublimes, vel Riveriana methodo in Calomelanos *dulcifices*; præcipites; *chryſtallices*; calcinare tentes; per quamcumque ignis vim, vel per quodlibet Chemicum artificium, nunquam immutabis, neque Mercurius, niſi in Mercuriales atomos reſolvetur. Cum igitur extra nos per tantarum virium momenta nunquam immutari poſſit hydrargirus; an putandum eſt facultatibus ita efficacibus ſuccos noſtros pollere, ut quæ ab externis fortiſſimis agentibus præſtari non poſſunt, præſtare illi queant? Haud ædepol. Quam igitur mutationem in Stomacho, atque inteſtinis noſtris ſubire poteſt argentum vivum hauſtrum? Nullam aliam, niſi quam etiam extra corpus a

(a) Chymiſt. Sceptic. P. 1.

vi percussionis, vel si mavis, impulsus, patiatur. Hisce positis.

XXV. Ea corpora fluida vocantur, quorum partes vi cuicumque illatæ facile cedunt, moventurque in se. Cum vero Mercurius fluidiora corpora, longe fluiditate antecellat; necesse est, ut ejus particulæ vi illatæ facilimè cedant, & quam facilimè moveantur. Hinc evenit, quod si plano speculo hydrargiri granulum imponas, lenteque chrystallina lucis radium in illud dirigas; ex recensione autoris Boerhaavianæ Chemiæ in infinitos globulos disiiciatur. Fieri itaque minime poterit, quin corpus vi illatæ ita facile cedens, a stomachi contractionibus, motibusque, atque ab intestinorum peristaltico motu in millena hinc inde granula dividatur; quæ cum sint semper ejusdem figuræ, ejusdemque specifici ponderis, neque vis dimovens ea sit, ut eò tenuitatis illa redigat, per quam cum non minima superficie, pondus fermè ammittant; in mutuos denuo ruent amplexus, seu si mavis, sese invicem attrahent; quapropter nunquam gastricis fluidis innatare poterunt, sed ab intestinorum, ventriculique parietibus, ut a vasis fundo, sustinebuntur.

XXV. At quis obiiciet, majorem dissolutionem, quam sit simplex particularum divisio, Mercurio in intestinis nostris continge-

re.

re. Cum enim in ventriculo, atque intestinis liquida adesse dandum sit: cumque gastricorum succorum indoles acida audiat; poterit ab hisce acidis spiculis corrodi Mercurius, iis adhærescere; ac quemadmodum in menstruis stygiis evenit, sursum, deorsum, levorsum, dextrorsum ferri, atque natare, neque intestinorum tunicis, quemadmodum vasis fundo adherere. Hinc duo oriri possunt: Primum, quod mediante salium succis hisce inhærentium consortio, in fluorem redactus, lymphæque innatans, oscula lacteorum subeat, & sanguinem ingrediatur: alterum, quod quemadmodum in ejusdem per stygias aquas, dissolutionem, evenit; corrosivus evadat. Quod non inepte animadversum est a Lemeryo (*a*) præcipiente, vivum Argentum in pleniore dosi volvulosis exhibendum esse, ut citius descendat, nè in intestinis restitans acidorum salium actioni exponatur, quæ illum corrosivum reddere possint.

XXVI. Quamdium in physicis hypothesibus abutemur, tamdiu male phylosophabimur. Observatis, veritatique minimè consonum est digestivos succos acidos esse. Ejusdem omnino naturæ sunt, ac salivalis humor, qui e glandulis salivalibus in os prolicitur, nempe subsalsi (*b*) luctaque Sylviana biliosi cum

[*a*] Cors de Chimic. T. 1. c. 8.
(*b*) Vid. Boerhaav. Æcon. animal.

Pancreatico ſucco, non Phyſiologium Theorema, ſed merum poſtulatum nondum demonſtratum, naſutioribus Phyſiologis audit. Dicti igitur ſucci, non ſunt illius indolis, qua corpus corroderet maxime compactum, penetrare, & ſolvere queant, quod acidiſſimis ſalibus, & corroſivis ſolummodo datum eſt. Quin neque acida mineralia quæcumque; quamvis fortiſſima Mercurium æque diſſolvunt; cum facilime ab aqua forti; difficilius a Regia; neque ab oleo vitrioli, niſi fortior ignis olei ſpicula in actum deducat, atque intra Mercurii poros impellat, diſſolvatur. Quod ſi etiam acidiſſimi in nobis forent dicti ſucci, aut evaderent (putavit Galenus, neque injurie, in humanis corporibus venenatos ſuccos ſponte quandoque progigni, qualis fuit acrior ille ſuccus in Ferdinandi III. ventriculo inventus, cujus guttæ argenteæ pelvis nitorem commacularunt (*a*) prætetquam quod non adhùc horum ſuccorum vis illa eſſet, quæ metallum poſſet corrodere (quid enim, ſi cum ſtygiis aquis, aut oleo vitrioli comparentur?) mihi probabilius videtur, non tam per hoſce ſuccos Mercurium corroſivum evadere, quam per Mercurium efferos hoſce hummores corrigi, & cicurari, ſicuti ſublimatum corroſivum, Mer-

curio

[*a*] apud Bonet. in Sepulc. Tom. 2. l. 3. ſect. 5. obſerv. 4.

curio crudo admixto dulcescit. Ego sæpissime, ut ex meis observationibus videre est, vel in infantibus, Mercurio dulci, eo nempe, qui corrosivis adhæret, utor; etiam cum fæces viridescentes, aut sincere flavæ acidorum succorum prædominium arguere possunt; neque ex hac Praxi, quæ Hoffmanni Doctis pace, mihi solemnis est, adhuc quicquam mali contigisse annotavi. At, en, ut sibi constant dictorum auctorum ratiocinia. Non ne per eos lues Venerea acidi soboles est, quæ quandoque, nedum carnes exulcerat, sed durissima quoque ossa corrodit? Quid vero potentius acida ista, si Diis placet, spicula infringit, quam Mercurius? An ad eorum nutum in lue Venerea acida cicurabit; in aliis vero casibus ea auctiora, & corrosiva reddet? Quod si ajant, Mercurium per acidorum salium vim, corrosivum evadere; reponam, non ideo sic appellari, quia vere ipse rodens evadat; si enim ab acidis salibus, quibus adhærebat, separetur, denuo spicula abiicit, atque inermis, ut ita dicam, remanet; sed tali nomine donari, quia corrosivorum corporum, quibus adhæret, suo pondere vim exacuit. Quemadmodum eveniret, si a cui cuti infixæ plumbeam lamellam imponeres, quæ sua gravitate acum intimius adigeres. Velim tamen animadvertas, salia ista quibus spicula exacuit Mercurius, ejus esse indolis,

quæ

quæ Mercurium corrodere possit, & solvere. Non igitur intra nos ingestus eum dissolutionis gradum subit crudus Mercurius, per quem in unum homogeneum corpus cum liquidis gasticis facessere possit. Cum igitur non sit Mercurius volatilissimum illud corpus, quod esse censetur: Cum gradus caloris nostri illum non æquet a quo evolat; per suæ volatilitatis vim, ut effluvia evolantia solent, sanguifera vasa minimè ingredietur. Item, cum a vi gasticorum fluidorum, & solidorum illum divisionis, fluorisque gradum acquire non possit, per quem lymphæ innatans, illique intimè commixtus lacteorum vasculorum oscula intrare queat; sequitur illum, dum per os crudus assumitur, sanguinem minimè intrare posse, ut Ramazzinus quoque laudatus (*a*) putavit; sed per inferius guttur, ad idem pondus quo per superiora ingressus est, extrà detrudi, quod a Claris. Chymico Lemeryo jam traditum est (*b*).

XXVII. Sed argumentis hisce a priori, ut ajunt, petitis, aliqua a posteriori deprompta, accedant. Observare est, medicamina illa, quæ sensibiliores edunt effectus, quomodocumque sanguini accedant, sive per cutim, siva per venas infusa, sive per Regiam

Chy-

(*a*) De morb. Chymic.
(*b*) Corso di Chimic. T. 1. c. 8.

Chyli viam, sibi peculiares propriasque actiones semper exerere. Cantharides, vel exterius admotæ vessicam extimulant: Cathartica fortiora cuti illinita, alvum cient. Crocus metallorum genubus admotus, vomitus, ac si haustus fuisset, induxit (*a*). A lotione capitis ex Nicotiana, ebrietas, anxietas, vomitus, & diarrhæa exorta (*b*): Opiata cuti apposita, somnum cient, idemque in venas conjecta præstant (*c*), gummata principio scatentia sulphureo, non minus apposita ac per os assumpta stagnantia resolvunt. Unioni continui disruptæ balsamica hausta famulantur, idemque præstant apposita, aut per syringam injecta; atque, ut tandem aliquando finiam, rodentia, non minus externo, quam interno contactu, vomitus, anxietates, ardores, febres, rosiones, mortem inducunt. Porro peculiaris, Mercurioque sanguinem ingresso specificus effectus, quique ejus cum sanguine commixtionem prope sequitur, est salivatio: quandoque etiam cum torminibus, nec sine sanguine, alvi fluxus. Apponatur cuti Mercurius, vel sub linimenti, Emplastrive forma, vel sub specie fumi; seu sanguini dulcis redditus, immittatur, fere semper

(*a*) apud Bonet. T. 1. M. S. l. 3. sect. 7. c. 19.
(*b*) apud Boyl. Philos. experim. p. 106.
(*c*) Ex Transact. Anglic. T. 3. c. 9. §. VI. Emetica injecta, vomitum, & dejectiones; cathartica, dejectiones, ac vomitus intulerunt.

per primum, alterum non verò, sæpius ambos dictos effectus edit. Nunc scire averem, cùr crudus per Galaxiam cruori commixtus eosdem non edat effectus? Unde quæso facultati ejus salivatoriæ compedes accedunt? An vis stomachi succorumque gasticorum: an lympha lacteorum salivatoriam ejus vim domat, atque ea difringit? At Aquilæ albæ salivatoriam facultatem minimè comprimit. An a sua indole mutatus sanguini accedet? Sed quicumque Mercurium ejusque inter cætera vel metalla summam noscit immutabilitatem, vix hæc cogitabit. Quæ verò affert Bellostus de ejus maxima volatilitate, per quam aura, & fumi Mercuriales solummodo sanguinis fluentum ingrediuntur, deque ejus gastrica sublimatione diversa ab ea, qua in sublime vehitur, dum vasa sanguifera percurrit; ex ante dictis super afferta Mercurii volatilitate, atque ineptitudine caloris nostri ad illum in sublime evehendum, extenuata omninò, & diruta puto. Quin asserere, particulas Mercurii volatiliores sanguinem per Galaxiam ingressas, salivationem minimè ciere; nedum est nondum probata nimis fidenter pro demostratis obtrudere; sed verba factis impudenter satis opponere, cum videamus fumos Mercuriales per suffumigia in sanguinem delatos salivationem excitare. Forte ignis prunæ fumos salivatorios corpori inducet,

cet, quæ salivatoria in Mercurio non sunt Stomachicus calor in sublime pellet solum modò? At ità hypotheses hypothesibus connectantur, quæ cum phænomenis minimè congruunt, nedum ea, quæ fiunt, sed neque quæ fieri possunt valent explicare. Mihi videtur, ut quemadmodum ex effectus cujusdam observatione, qui causam suam propè sequitur, optima cum ratione causæ effectum producentis existentia arguitur; sic ex ejusdem effectus absentia aptissimè argui posse, vel producentem eum causam minime adesse, vel illius actionem aliquo de nomine impediri. Non ergo Mercurius crudus per os assumptus venas intrat, quia cum sanguinem tangit, salivationem ciet, ut vice quadam Bellosto observare datum fuit (*).

XXVIII. At tela, quæ in adversarios conjeci, facta, nempe, verbis opposita, nunc sentio in me retorqueri. Cum isti asserant, Mercurium in urinæ sedimentis apparere, evictum jam est, cum sanguinem intrare. Proin ea quæcumque sint, quæ illius in sanguinem ingressui opposui, meri sunt logi, verbaque

ina-

(*) Objectionem a Mercurio Diaphoretico vulgo dicto, petitam, non moror; neque ob id solummodo, quia naturales, vitæque vires nostræ ab efficacia virium Chemiæ plurimum deficiunt; sed quia Mercurio Diaphoretico dicto: vel nihil, vel parum adnocuum Mercurii inest. Præparatio, quæ mihi innotescit, nil nisi Sal armoniacum continet.

inania: Ita ſint, ſed factum examinemus; Mercurius, qui ſanguinem ingreditur, ſub auræ volatiliſſimæ ſpecie venas intrat; qualis eſt, quæ per auctores aquæ Hermeticæ virtutem anti-helminticam conciliat. Eo igitur tenuitatis, & parvitatis tunc Mercuriales atomi redactæ ſunt; ut quemadmodum nihil ſenſibilis ponderis e maſſa unde evolarunt, dempſerint; ſic in ſe nihil ſenſibilis ponderis habeant. Diameter igitur hujuſce mercurialis moleculæ, adeò, penè dixerim, infinitè parva concipienda eſt, ut pondus ejus, ſeu cubus a Diametro multùm infrà *zero* ſubſiſtat. Ergò dicta Mercurialis aura, nedùm quocumque in liquido craſſiore, ſed vel in ſubtiliſſimo æthere natabit; proindè natabit quoque in lotio: in hujus ſedimentis minimè ſubſidet: cùm lotio effundetur; neque in lotii fæce quacunque viſus acie conſpici poterit.

XXIX. Huic raciocinio, video, quid opponi poſſit. Ejuſdem ſpecificæ gravitatis corpora, facilimè ſibi adhæreſcunt, ſeu fortiter ſe ſe invicem attrahunt. Ergo atomi Mercuriales per lotium diſperſæ, in mutuos amplexus ruentes, in grandioreſque moleculas ſe ſe efformantes; fluidum in quo natant, pondere excedent; in urinæ fæcibus ſubſident; oculuſque, ſaltem adjutus perſpicilijs, eas videre poterit. At ego inſto: ergo quoque

que in aqua Hermatica cernentur, quod tamen falsum est. Petam itidem, quomodò particulæ istæ, quæ cum oculis usurpari possunt, aliquid sensibilis ponderis habere debent, nihil ponderis a Mercurio demserint. Hæc tamen instantia, ut fatear, quod est, si veræ est Boylii observatio, de qua dubitare, nefas ipse ducerem, argumentum non solvit; ille etenim habuit aquam manifestè ferro saturatam, quæ aquæ Fontanæ pondus minimè excedebat. Nodum igitur non difringam, sed solvam.

XXX. Omni materiæ vim eam inesse scio, quam attractionem Magno Nevvotono vocare libuit; scio itidem vim hanc in minimis potissimum particulis manifestari; sed scio quoque ab fluidis in quibus natant, particulas, suis motibus, ideòque suæ attractioni mutuæ resistentiam pati. Quomodò, & qua lege fluida corporibus per ea natantibus resistant, insignis docuit Nevvtonus. Ejus subtilissimas speculationes (præterquàm quòd caput meum fortè superant) hùc afferre Omninò necessarium minimè duco; cùm rudiore ratiocinio, sed tamen ratiocinio, pinguioreque Minerva, quæ in meam rem facere possunt, hic possim in propatulo ponere. Observo natantia corpora, eo difficilius per fluidum aliquod moveri, quo plus tenacitatis, viscositatisque fluido inest. Observo itidem

cor-

corpora per fluida dispersa, eo difficilius suæ attractionis vim exercere, quo fluidi partes magis moventur. Aquam lignea scobe conspergas, bacillo postea aquam dimoveas: Pulvisculi lignei granula facilius ad se mutuo accedent, quo segnius aqua succutitur. Nec obstat, motum fluidi, sive intestinum, sive ab vi externa excitatum, particulam particulæ admovere posse, ut inde attractio facilior evadat; quia eadem vis motus, quæ particulam particulæ propiorem constituit, particulam quoque a particula dimovet; quapropter, ob causam eamdem, qua forte attractio promoveri posset, attractio quoque impeditur. Sed rem clarius illustrabit aqua calidis cineribus superposita, cui insit aliquid pulverulenti, aquæ pondus non multum specifice excedentis. Videbis leni calore aquæ parriculas commotas per totum, aquæ corpus pulveris particulas dispergere, quæ remota ab igne aqua, & refrigerationi commissa, ad se mutuo accedent, atque subsident. Hinc, tametsi non me fugiat, quod inter attractionis vim, & vim gravitatis, vel ex eo aliqua diversitas intercedere debeat, quod vis attractionis major, aut minor, nedum a pondere, sed etiam a figura dependeat, quod secus accidit in vi gravitatis, quæ eadem corporis densitate remanante eadem semper est sub quacumque figura; nihilominus cum eo in gravi-

gravitate convenire videtur, quod quemadmodum hæc densitati materiæ omnino correspondet, sic etiam vis attractionis ab eadem densitate plurimum pendere videatur. Ita pulveris aurei particulæ si liquido alicui immittantur, citius seu fortius se attrahent, quam particulæ pulveris ferrei, hæcque ocyus, quam particulæ lignei, aut terrei pulveris. Hisce positis, cum particulæ Mercurialis auræ infinite parvæ concipiendæ sint (nihil enim ponderis a Mercurio, unde avolant, demunt) cum talia non sint terrea, aut salina urinæ corpuscula, & contenta, sed sensibilis, crassiorisque magnitudinis: cum lotium fluidum viscosius, & tenacius sit: cum, nedum per horas, sed per dies quoque motum quemdam, sive intestinum conservet, sivè ab externo aere recipiat, fæx urinæ subsidet, natante adhuc Mercurio, ideoque neque acies quantumvis Lincea hunc in urinæ fæcibus, in quibus non est, cernere quibit. Sed quid verbis opus? Uxori meæ, ut inferius tradam, Mercurium propinavi: quam exactissime potui ejus urinæ sedimenta diversis a mictione temporibus, examinavi: oculos perspiciliis (licet enim lobio non victitem, acuctiore visus acie non valeo) armavi; pondere, lotione, fricatione vero rem tentavi, sed nunquam Mercurii moleculas invenire quivi. Alteri Nobili viro, qui in

flore ætatis constitutus bis leviores Podagræ insultus passus est, Stomachique ardore, per hyemem potissimum, cumque exercitio non incalescit, laborat, Mercurii crudi usum suasi, cujus cum tres libras consumpsisset, ità mihi per Epistolam de Mercurii effectu sciscitanti, respondit: *Ora passo al Mercurio. Io da questo, non ho sentito alcun profitto immaginabile. Per urina, le protesto, che non ne ho veduto niente, ne mi persuado, che alcuno ne vedrà, perche pochi saranno, che facciano quelle osservazioni, che da me sono state fatte. Quest' è quanto posso scriverle intorno al Mercurio, quale per me nulla ha giovato. E quantunque di presente sii estate, che non solevo patire il mio incommodo di Stomaco, ora qualche volta m' incommoda. Non voglio però dare la cagione al Mercurio, ma ad un acre insuperabile nel mio sangue.* Forte annus humidior, atque inæqualis, transpirabiles acores sistendo, facit, ut contra àc per æstatem solebat, Nobilis vir hoc anno Stomachi ardorem patiatur. Quid ergo? Cum experiundo satis didicerim plurima pro veris ab auctoribus tradi, quæ talia minime sunt; sacra prophanis, sed cum debita reverentia miscebo imposterum, atque exclamabo: *nisi videro, & tetigero, non credam.*

XXXI. Hisce positis, corruit optima cæteroquin, explicatio, quam ex Æconomia ani-

animali ; opellæ Bellosti Præfationis auctor appofuit, ut ostenderet, quomodo Mercurius venas ingredi possit. Cum enim iste ingressus non solum dependeat a Mechanica Stomachi, intestinorumque structura, & operatione, sed etiam ab aptitudine corporis ingressuri; nisi demonstrabitur Mercurium crudum cum liquidis gastricis, & intestinalibus ita misceri posse, ut iis innate, seu per calorem nostri Stomachi ita posse subtiliari, & in sublime pelli, ut quemadmodum volatiles atomi solent, membranarum, vasculorumque porulos pervadat, in cruoremque se insinuet; numquam illius in venas ingressum probabimus.

XXXII. Adhuc dum binæ instantiæ contra hanc assertionem impetum faciunt. Prima est, quod Mercurius per Chemiam dulcis, ut ajunt, redditus, sanguinis vasa intret. Cur eadem crudus vasa intrare non poterit? Altera, eaque, ne mea fallat me opinio, majoris momenti: Mercurius crudus in sanguinem ingressus, cum sanguine circumagi potest, illi innatare, osculaque, vel minima exilissimorum canaliculorum subire. Cur insidere quoque non poterit intestinali lymphæ, cum eaque lactearum venarum ostiola ingredi?

XXXIII. Ut hasce objectiones diluam, aliqua mihi præfanda sunt. Verulamius pu-

tarat Mercurii crudi proportionem ad aquam; majorem ea esse, quæ intercedit decem & septem, ac unum: nempe Mercurium aqua specifice esse graviorem plus quam vicibus decem septem. At Nobilis Boylius tradidit (quod probatum ab aliis video) ad aquam Mercurium se habere (*a*) :: $13\frac{19}{31}$. 1. Verum ommissis fractionibus, ponamus Mercurii pondus, specifice aquæ pondus vicibus quatuordecim superare. Sanguis ad aquam (*b*) ex plurimorum recensione, se habet :: 14. 13: Excedit nempe aquam pondere una parte decima tertia. Quæ proportio sanguinem, succosque gastricos intersit, neque experiendo, neque legendo didici. Verum, ni fallor, non admodum erraret, si quis crederet horum specificum pondus, paululum pondus aquæ excedere, a sanguinis verò pondere parum deficere. Sint itaque ad sanguinem :: $13\frac{1}{2}$. 14. Aqua ad hosce igitur se habebit :: 13. $13\frac{1}{2}$. Cum vero Mercurius se habeat ad aquam :: 14. 1., ad hosce se habebit :: 14. $1\frac{1}{2}$: nempe moles ea succorum gasticorum, quæ æqualis sit moli Mer-

(*a*) Exper. 36.
(*b*) Ex Experimentis Jurini sanguinis crassamentum se habet ad aquam : : 1054. 1000. (Transact. Anglic. c. §. 2. 7.

Mercurii, minus, quam Mercurius duodecim vicibus cum dimidia ponderabit; seu Mercurius succosholsce pondere specifici excedet vicibus duodecim cum dimidia. Quid igitur fieri potest, ut hisce innatet?

XXXIV. Ad hoc, ut corpus aliquod a fluido specifice leviore vehatur, unum saltem ex hisce quinque præstandum est. Vel liquidi pondus ita augendum, ut demersi corporis pondus æquet, quemadmodum fit, dum áquæ in qua ovum subsidet, salem adiicis, muriamque conficis; tunc etenim sale satis aqua saturata est, cum ovum non subsidet, sed natat. Vel demersi corporis pondus ita imminuendum, ut fluidum specifice adæquet; id vero alterius corporis additione potest obtineri, quod levitate tantum fluidum excedat, quantum a corpore deorsum nitente fluidum pondere superatur: Ita addito subere, vel plumbum in aquis vehitur. Vel cum motus ita augetur, ut fluidi motus adauctus eamdem proportionem habeat ad vim corporis deorsum nitentem, quam habet hæc eadem vis ad specificum fluidi pondus. Ita rapidissimus torrens, qui cum stabulis armenta trahit, graviora saxorum pondera secum vehit, rapitque. Vel tandem, cum corporis tendentis deorsum ita imminuitur cum pondere superficies, ut pondus in ratione majore, quam superficies decrescat, seu cum pondere ma-

xime imminuto, non admodum pusilla evaserit superficies. Ita aurum corporum ponderosissimum in minutissima granula, postea in bracteolas tenuissimas distentum, nedum aquæ, sed aeri quoque innatat. Primus modus, tertiusque, in casu nostro impossibiles mihi videntur: quintus facit, ut Mercurius per cutim ingressus cum sanguine circumvehatur; secundus vero quartusque, ut Mercurius dulcis redditus succis gastricis insidere possit, efficiunt. Ad primum, tertiumque, quod attinet, non video qui fieri possit, ut gastrica fluida ita graviora reddantur, ut Mercurii pondus exæquent: (cæteri vero, quomodo in Mercurii dulcis confectione locum habeant, nunc explanabo.

XXXV. Primo itaque sciendum ex Statices principiis, quod corpora ejusdem densitatis, & materiei, sint etiam ejusdem specifici ponderis; proindeque, quod corporum ejusdem densitatis pondera, sint inter se, ut magnitudines. Sint V.G. duo globuli argentei, quorum unus triplo alterum magnitudine excedat: pondere quoque triplo hoc excedet. Cum enim vis gravitatis cuicumque ex componentibus datum corpus, suam impressionem æqualiter largiatur; necesse sequi debet, pondus totius, aggregatum esse ex ponderibus molecularum corpus componentium. Sed corporum ejusdem densitatis componentes mo-

lecu.

leculæ æquales sunt ; æqualia ergo erunt quoque horum pondera, quapropter mensura ponderis cujusque corporis per numerum particularum corpus componentium determinabitur. Itaque si corpus aliquod millenas componentes particulas contineat: alter ejusdem densitatis, quingentas; hoc a primo duplo ponderi superabitur. Pondera itaque, seu potentiæ, seu gravitatis vires in corporibus æque densis, in eadem sunt proportione, ac magnitudine.

XXXVI. Illud quoque ex Geometricis nunc sciendum est, quod corpora similia sint inter se, ideoque crescant, & decrescant in laterum homologorum triplicata ratione, seu inter se esse, ut cubi a diametris ; eorumdem vero corporum superficies, haud equidem esse in homologorum laterum triplicata ratione, sed in duplicata solummodo, ut diametrorum, nempè quadrata. Sit itaque granum Mercurii, cujus diameter = 6: postridie ita decrescat, ut diameter evadat = 2. Ejus moles, ac proinde pondus per ea, quę superius asservimus, ea proportione decrevit, qua cubus diametri 2. defecit a cubo diametri 6. Porro cubus diametri 6. est 216: cubus diametri 2, est 8, qui minor est vigesies septies, seu continetur in primo cubo viginti septem vicibus. Ergo moles, & pondus granuli Mercurii, cujus diameter = 2 a pondere, &

mole granuli, cujus diameter = 6. viginti ſeptem vicibus ſuperatur. Cum vero ſuperficies non decreſcant, niſi in ratione laterum homologorum duplicata, nempe ut diametrorum quadrata; ſuperficies granuli, cujus diameter = 2. deficiet ab altera, cujus diameter = 6. ea ratione, qua 4 quadratum primæ deficit a 36. alterius quadrato: ſcilicet, prima erit minor altera novem vicibus ſolummodo. Cum igitur pondus viginti ſeptem vicibus minor evaſit, ſuperficies novies ſolummodo facta erit minor. At operæ prætium me facturum exiſtimo, ſi ex immortali Galileo (*a*) rem viſibili exemplo illuſtrabo. Sit cubus ſolidus, corpus nempe ſex quadratis faciebus æqualibus compræhenſum, ac quælibet cubi facies quatuor digitos quadratos contineat. Tota igitur cubi ſuperficies viginti quatuor quadratis digitis æqualis erit, Scindatur iſte cubus in octo minores æquales cubos, quorum quælibet facies, quadrato digitu æqualis erit. Cujuslibet ergo e cubis minoribus ſuperficies, quorum ſinguli ſunt pars octava majoris, a quadratis ſex digitis compræhendetur, ideoque majoris cubi ſuperficies ſextupla erit ſuperficie minoris, moles vero octupla. At moles, ſeu magnitudines in ejuſdem denſitatis corporibus, ſe habent, ut pondera, ergo pondus quoque majoris,

(*a*) Dialog. 1.

joris; minoris pondere octuplum erit, cum superficies sit solummodo sextupla. En igitur, ut in corporum divisione pondus tandem ad sensus evanescat, minimumque infinite fiat, cum non adeo minima superficie, qua de re sæpius a nobis in hac Dissertatiuncula mentio facta est. Quam facile vero a liquidis vel specifice levioribus latiores sustineantur superficies, nemo, ut puto est, qui id ignoret. Exemplo sit parva acus chalybea, quam si perpendiculariter aquæ immittas, fundum petit; si vero eam dextere aquæ superextendas, non raro evenit, ut supernatet. Nunc Mercurii dulcis, ut ajunt, redditi, processus est examini subiiciendus. En paucis ex Clarif. Chymico Lemeryo (*a*) ejus præparatio, & confectio

℞ *Merc. crudi* ℥ xvj
Dissolv. in Spirit. Nitri ℥ xviij

Dissolutio, ut in vapores abeat fac. Massæ post evaporationem remanenti, adde

Vitriol. ad albed. calcin.
Sal. decrepitat. } an. ℥. xvj.

Sublima, ut artis est. Habebis ℥ xix. Mercur.i sublimati. Huic sublimato adde Mercurium vivum eo pondere, ut quarta parte sublimatum excedat, mixturamque probe commixtam igne arenæ sublima.

Qui.

(*a*) Corf. di Chim. T. 1. c. 8.

XXXVII. Quicumque hunc processum exacte considerat, explorate satis percipiet: primo a vi spiritus Nitri corrosiva ita Mercurium penetrari, dividi, corrodi, ad minima redigi, ut menstruo innatet: deinde Mercurium ita solutum, per mixtionem salinis corporibus eo levioribus ita adhærere, ut massulæ ex sale, & Mercurio conflatæ minus ponderent, quam si solo Mercurio sub eodem volumine constarent. Inde fit, ut per ignem in sublime evehi possit. Moleculæ istæ salinæ sunt in aqua solubiles. Secum igitur ad minima divisum trahentes Mercurium aquæ innatabunt, ut ex aqua Phagædenica palam fit. Mercurius per artem ita levis redditus, crudo denuò additur Mercurio, qui, nedum salia corrosiva cicurat, & fermè inermia reddit, sed massæ pondus adauget, ut fluido non amplius insideat. De facto, si Mercurium dulcem in pollinem subtilissimum redactum aquæ super iniicias, fundum vasis tandem petit, non eo tamen gravitatis excessu, quo ad fundum ruit argentum vivum, quod per meam observationem (quam tamen non exactissima acrivia instituit) se habet ad Mercurium dulcem, ut quinque, circiter, ad unum. Mercurius ergo dulcis se habebit ad aquam, ut novem ad unum. Qui excessus non est, cui aliquò modo non possit occurri. Et primo quidem per majorem, quæ ha-

fieri

fieri possit, salium in aqua dissolutionem; secundo, per aquæ motum. Si enim aquæ vas in quo Mercurius dulcis sidit, concutias; per aquam spargitur; in ea aliquamdiu natat, nec nisi lente, atque tardè denuò subsidit. Quod secus evenit, si crudum aquæ immitas: præter enim quod celerrimè descendit, nunquam per aquam spargitur aquæve insidet, si vel fortius vasculum concutias.

XXXVIII. Mercurius itaque talis redditus, ut, vel per aquam evehi possit, multo facilius per gastrica liquida vehetur; tum ex eo, quia horum liquorum pondus aquæ pondus aliquantulum excedit; tum quia assiduè aliquo motu cientur; cum maxime ob calorem quo foventur, per quem usque magis solutis, & divisis salinis moleculis, quibus ad minima divisus, & adhùc dividendus hæret Mercurius, istæ liquoribus gastricis facile innatabunt; cum iis homogeneum corpus costituent; quoque liquores dicti se insinuant, ferentur; cum iisque secum Mercurium vehentes, sanguinem ingredientur. At e contra, cum crudus Mercurius non eum in nostro Stomacho divisionis gradum subire queat, quem subit a Stygiis aquis corrosus: cum corpori minus ponderoso non uniatur, adeo ut particula ex Mercurio, & Corpore, minus ponderet quam particula ex Mercurio ejusdem voluminis: cum moleculæ in

aqua

aqua solubili ad minima divisus non adhærescat: cum tanto ponderis excessu gastricorum liquidorum pondus excedat, ut impossibile sit in eum motus gradum dicta liquida excitare, qui vim Mercurii deorsum nitentis impediat (quantocunque enim motu aquam in vase dimoveas, neque Mercurium a celerrima subsidentia arcebis, neque per aquam natare facies) sequitur hunc in gasticis liquidis minime natare posse, neque dissolvi, neque, quod consectarium est, cruoris vasa subire. Non igitur quia Mercurius dulcis per Galaxiam sanguinem intrat, crudus quoque via eadem in cruorem feretur.

XXXIX. Sed neque ex eo quod per cutim in venas vivus delatus sanguini innatat, gastricis quoque succis innatabit: id etenim ab iis pendet circumstantiis, quæ in altero casu desiderantur; suntque divisio, quam subire debet, ut transcoletur per cutim, & sanguinis motus, pondusque. Ad primam harum circumstantiarum quod attinet, ut per poros cutis in venas didatur Mercurius, ejus moleculæ eo tenuitatis pervenire debent, quo perveniunt fluida e cute exalantia. Cum enim nulla expressio, nulla externa vis accedat, quæ illum per cutim urgeat, porulos eos subire debet, per quos, & materia transpirabilis, & sudor fertur. Quanta igitur exilitas particularum, quanta di-

ta divisio molecularum ad id requiritur! Venas ingressus, quæ est altera conditio, vi illi exponitur, qua minime in intestinis, Stomachoque urgetur. Non pauci e Celebrionibus Physioligis, vires sanguinis, motusque supputarunt: an rem açu tetigerint, viderint ipsi. Quæ hac super re tradidere, velle ad examen reducere nimium esset æa scopo ad quem collimo, deflectere. Dicam solummodo obvia, nullisque difficultatibus obnoxia. Sanguis per vasa arteriosa, majore virium momento fertur, quam ferantur gastrica liquida inter intestina conclusa. Hinc fit, quod cum in rapidissimum hoc flumen Mercurius summe divisus, adhucque summe divisibilis fertur; non solum denuo, prope dixerim infinite, dividatur; sed a motu, divisus conservetur, perinde, ac si in rapidissimum torrentem subtilius sabulum iniiceretur. Adde, quod velate ad sanguinem, specifice minus, quam ad gastrica liquida ponderat. A sanguinis itaque rapidiore motu; ab ejusdem sanguinis, vasorumque assiduis percussionibus, eò parvitatis, cum majore superficie ejus moleculæ rediguntur, ut sanguini facilime insidere, & cum eo circumagi possint. Quæ omnia cum in gastricis succis desiderentur, a subsidentia crudus Mercurius non arcebitur; in iis non natabit; cum iis fluidum homogeneum minimè con-

stituet;

ſtituet; neque per lactea in cruoris vaſa penetrabit.

XL. Poſtquam, ni fallor ſatis evici, Mercurio Stomachum ingreſſo adimi cum ſanguine commercium; explicandum eſt, quomodo ab ejus aſſumptione ſanguinis vitia nihilominus corrigi poſſint, morbique ſuccis in orbem euntibus adhærentes, curari. Succos animalium a vi vitæ, & circulationis quotidie conſumi, noviſque ſuccis, qui deperditos reſarciant, indigere; adeò nota res eſt, ut probatione minimè indigeat. Si novi itaque ſucci, qui veteribus ſuppetias ferunt ſanæ indolis, probeque elaborati ſint; nedum conſumptorum jacturas reſarciunt, hominemque probe nutriunt; ſed etiam paulatim, ſenſinque, ut dicitur, ſine ſenſu, vitia veterum corrigunt. Ità ſi vaſe aceto pleno aliquid aceti quotidie dempſeris, vinoque probo extracti aceti quantitatem reſarcias, non multo poſt tempore, vas, quod liquidum aceſcens continebat, optimo flore Liberi plenum erit. Ægri, qui poſt graviores auctos morbos convaleſcunt, ac pueri; qui ad pubertatis annos perveniunt, hujuſce rei luculentiſſimum præbent exemplum. Macies, enim, obſtructiones, febriculæ ſuccorum nondum ſanorum effectus, & inditia, victu analeptico ſolummodo tolluntur, quæ tamen utilitas, niſi præſto ſit ſalubris elaboratuſque chylus,

habe.

haberi non poteſt. Cum enim homo vires reſarcit, & carnes reſtaurat, ut rectiſſimè Aretæus, *ſimul omnia morbi veſtigia obliterantur* (*a*) : Pueri verò, ferme cachetici, deſides, ventrioſi, cruditatibus ſcatentes; dum ſtomachus ab ætate, & vi ſeminis roboratus cibos perfectius conficit, paulatim abſque ullo medicaminum auxilio colorem mutant, toroſi, ſicciores, ſanioreſque fiunt. Ut enim primæ digeſtionis vitia cæteras digeſtiones vitio afficiunt, omniumque fere chronicorum morborum cauſa ſunt, & origo; ſic e contra beni elaborata ventriculi concoctio, reliquis vitiatis viſcerum actionibus medetur. Q. Serenus cecinit:

Qui Stomachum Regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur;
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra ejuſdem langueſcunt cuncta dolore. (*b*)

Et jure quidem: cum enim bonus ſic chylus, fit bonus ſanguis, ſanguineque probo, & ſano exiſtente, fieri non poteſt, quin homo perfecta valetudine fruatur.

XLI. Pluribus de cauſis vitiari poteſt chyloſis; eas omnes pertractare velle, idem eſſet, ac de morbis omnibus imi ventris tractatum contexere. Duo maximè obvia, quibuſque Mercurium perbellè mederi poſſe pu-

to

(*a*) De curat. diuturn. l. 1. c. 5.
(*b*) Digeſt. & Stomach.

to hic explicabo: Primum eſt proclivitas tunicarum Stomachi, inteſtinorumque ad ſpaſmos, & criſpaturas: alterum vitioſa saburra, ſeu cacochylia ventriculi tunicis impacta, villoſque turbuloſæ villoſæ cruſtæ obliniens. Cum per ſpamodicas criſpaturas, quæ hypochondriacis, hyſteriſque familiaria, ſuetaque ſunt pathemata, motus tunicarum periſtalticus vitiatur, quo blandè, & imi ventris contenta urgentur, atque miſcentur, & ſuccorum digeſtivorum ſecretio, & excretio promovetur; turbeturque inſuper motus muſcularis, quo tunica ventriculi muſculoſa cibos comprimit, pinſat, atterit; ſuccis, verique contritas moleculas in tumorem elevanti, & in fermentationem adigenti, exponit, atque commiſcet; hiſce de nominibus primum digeſtio vitiari debet. Cum præterea modo hic, modo illic anomale criſpentur tunicæ, eoque pylorus, vel ſerius, vel citius, quam par eſt, laxetur, inteſtinaque per ſectiones diverſas coarctentur; ſequitur, quod cibi, aut nondum ſatis in ventriculo elaborati e ventriculo in inteſtina prolabantur; vel jam digeſti, exituique parati, detineantur diutius; unde, ſi ſecundum, vel acidi, vel rancidi, alchalinique fiant, atque putreſcant: ſi primum, nondum eam modificationem nacti ſint, per quam ſucci bilioſi, Pancreatici lymphæque inteſtinalis actioni excipien-

piendæ apti ſint, ideoque non ſatis comminuti lactea, & ſanguinem ingrediantur. Sectiones vero inteſtinorum coarctatæ, aeri inteſtinorum accolæ rareſcenti viam claudunt, qui barborygmos, ructus, crepitus, flatus cauſetur. Iſti ſpaſmodicæ diatheſis filii ſpaſmos magis adaugent, tubique inteſtinalis actionem, magis uſque vitiant. Saburra verò vitioſa villis adhærens, cum illorum tubulos oblinat; glandularum oſcula incruſtet; vaſorum ſanguiferorum (an nervorum quoque?) porulos obſtruat; impedimento eſt, quo minus ſucci digeſtivi in cavum elabantur, chylificationemque promoveant. Quin cum dicta ſaburra ſit fermentativa, vitio, quo ipſa laborat, reliquos quoque inficit ſuccos. Vim porro crudi Mercurii eam eſſe duco, quæ vitia hæc tollere perbelle poſſit, chylificationique favere: idque non alia, quam ſui ponderis & figuræ vi. Cum enim inteſtinorum parietibus illabendo eos a ſe invicem diſiungat, atque ad extra protrudat; nedum aeri rareſcenti viam facit, ſicque flatus, ac borborygmi tolluntur; ſed motus fibrarum inverſos intercipit, naturalemque, quo deorſum verſus oſcillant, reſtituit. Res hæc non ſine planſibiliore Theoria ex ſpiralibus Cole (*a*) inteſtinorum fibris, & Mercurii pondere deducta, explicari poſſet; ſed ſatius duco eam

(*a*) De fib. ſpiralib. inteſtin.

obvio exemplo illustrare. Lumbrico proserpenti (ad hunc etenim modum vermicularem intestinalium fibrarum motum concipimus) bacilli summitatem admoveas, eaque lumbricum leniter comprimas; statim ejus vermicularis motus, quo versus Orientem V. G. ferebatur, cessat; adversamque viam non raro solet lumbricus insistere. Sic cum fibræ stimulis percitæ sursum versus oscillant; si eas Mercuriales globuli comprimant, motus iste vermicularis inversus cessat; quique illis deorsum versus naturalis est; qui ab validiore, ut ita dicam antagonista, stimulo nempe, supprimebatur, restituitur. Neque fibræ compressio hunc, ut primum tollit, sed adjuvat; quia hæc quoque compressio deorsum versus exercetur. Sic si tubulum conaceum leniter digitis deorsum versus comprimas; liquor in illo contentus, digitorum comprimentium motum consequitur. En igitur quomodo vitium, quod chylificationi accedebat ob intestinorum, & Stomachi crispaturas spasmodicas, motumque peristalticum inversum, auferatur. Dum vero villos viscidiore putrilagine oblinitos Mercurius præterlabitur; fieri non poterit, quin intra vitiosæ putrilaginis texturam se se suo pondere insinuet; eam perrumpat; viscositatem, qua villis adhærebat, tollat; fluxiliorem, extrusionique magis parentem illam reddat; deor-

sum

ſum urgeat; cruſtam villoſam, ac glandularum, & vaſorum ora detergat; vitiatamque hoc de nomine digeſtionem reſtituat. Inde optima chyli confectio: inde ſanguini medela: inde morborum intra animal exiſtentium curatio. Ut vero Stomachi inteſtinorumque vitia vel ſub primis Mercurii doſibus corrigi poſſunt; quæ tamen ſanguini inhærent, niſi longiore temporis ſpatio, ſenſimque ſine ſenſu, ſi annoſiora; & confirmata ſint, auferentur. Non enim tumor V. G. aliquo in viſcere excitatus tolli hoc auxilio poterit, niſi ſtagnantes humores per ſanguinem fluxiliorem abripiantur, atque emendentur, quod non exigui temporis opus eſt. Quod ſi ex Obſervationibus Belloſti quandoque contrarium evincatur; id non Mercurio, ſed catharticis, quibus Mercurium immiſcebat, tribuendum eſt; quæ venas ingreſſa; & momento percuſſionis per acceleratam circulationem adaucto; & ſuis ſpiculis, fluida ſtagnantia citius reſolvere, atque in motum ciere poterant. At, quam vellem, ut eos quoque caſus auctor iſte retuliſſet, qui per ſuam curandi methodum minus feliciter ceſſerunt! Neque enim putandum eſt ſuarum pillularum effectus feliciſſime ſemper votis reſpondiſſe, cum in Medicina, *quæ ex Hippocrate non idem ſemper facit, & ad idem contraria*

facit (*a*) vel certissima, & probatissima remedia quandoque fallant. Neque enim, ut recte Celsus (*b*) tametsi perpetuum sit, quod fieri debet, perpetuum etiam est, quod consequi convenit. Inter certiora remedia, certissima sunt cortex Peruvianus, Mercurius, Opium, Attamon, neque cortex semper abigit febres; neque Mercurius certissime salivationem excitat; neque semper papaveris succus dulci perfundit lumina somno.

XLII. Sed jam e vadis, scopulisque Dissertatiuncula hæc emmersit: Quæ disserenda restant plana sunt, ac facilia. Cum igitur demonstraverim hydrargiri usum, nedum noxium esse non posse, sed haud raro utile, & saluberrimum; de methodo in ejus exhibitione servanda, nunc mihi loquendum est. Vel catharticis consociatum exhiberi potest metallum hocce, vel sine iis; tuncque, vel solum vel alteri commixtum corpori. Quæ fuerit formula pillularum Bellosti, me latet; sed quando catharticis jungitur, cavendum est, ne ista e minerali Regno petita sint, neve catapotia, aliquod salium genus, illorum dico, quæ acutiora audiunt, ingrediatur. Salia e vegetabilibus petita nulli sunt suspicioni obnoxia, nisi forte hæc quoque per Che-

[*a*] De loc. in homin. tex. 50.
[*b*] l. 7. c. 12.

Chemiam eo acutiei devenerint, ut corrodere possint, seseque intra Mercurii porulos insinuare, quod tamen, an fieri possit, adhuc me latet. Neque Catharticis commixtus Mercurius, promiscue omnibus exhibendus est; neque quocumque anni tempore; neque cuilibet ætati. Idque, non ratione Mercurii, qui cum per se stimulo careat, soloque pondere, & figura agat, is est, ut quandoque quidem frustra, nunquam vero cum noxa præberi queat; sed ratione purgantium admixtorum; cum repetita catharsis, non rarò a temperamento; ab ætate; ab anni tempore; ab imi ventris constitutione; a morbis, vetetur. Hac igitur super re, artis ab Divino Hippocrate deprompta, servanda præcepta. Cum sine catharticis, nullique alteri commixtus corpori propinatur: videndum, an sumpturi os ulcere aliquo fædetur, dentiumque non interrupto aggere instructum sit. Si enim ulcusculum aliquod adesset, Mercurii granula ulceri ita adhærere possent, ut tandem sanguinem ingressa, capitis gravitatem, oris fauciumque tumorem, salivationem excitent. Si alicubi dentes desint, per os incommodè spargitur, nec sine incommodo deglutitur. In primo itaque casu, aliquo molli corpore excipiendus est, ne ulcerosis partibus adhærescat: in secundo, vel eodem modo, vel ex aliquo liquore, ut

ab hoc magis quam ab aere circumpressus; non ita facile per divulsorum dentium interstitia elabatur. Cæterum cavendum, ne molle corpus, quo excipitur viscositate nimia donatum sit, tunc enim posset tunicis adhærere, in cruorem penetrare, salivationemque excitare, ut evenit dum emplastris, atque axungiæ immixtus cuti apponitur. Si gastrici succi ea viscositate donati sint, qua diutius Mercurium in corpore detineant (ob hanc forte, vel ante allatam causam, apud Bellostum semel salivationem excitavit) neque elabi sinant; cathartico, cui auri folia misceantur, exturbandus erit. Ad ejus vero e corpore exclusionem promovendam, ut qui illum assumpsit ambulet, necesse est, flexionibusque trunci illius exitum promovent. Cavendum quoque quam maxime est, ne impuritatibus, & mineralibus fæculentiis scateat, a quibus dissociabitur, si cum oleosis, atque unguinosis commisceas, tundas, ebullire facias, indeque per corium sæpiùs trajcias. Operosa Rotarii Clarissimi præparatio, haud inutilis mihi videtur. (a)

XLIII. Verum, ut omnis Scrupulus, qui iniici posset, eximatur, etiam suspiciones, mereque possibilia examinemus. Duo adversa in Mercurii exhibitione contingere possent: ut illius aliquid, dum deglutitur in trachæam illa-

(a) In Epistol.

illabatur; utque in cæcum intestinum, unde illi exitus minime detur, divertat. Ad primum quod attinet, tenendum est, tantam esse ejus divisibilitatem, ut paucæ omnino guttulæ (si tamen vel hoc possit contingere) in pulmones ingrediantur. Cum enim ad primorum globulorum attactum glottidis fibræ a corpore extraneo vellicatæ, ad tussim excitandæ forent, quemadmodum contingit dum cibi moleculæ, aut potus guttulæ eò illabuntur; reliquæ pone sequentes, atque, ni tussis contingeret, illapsuræ, huc illuc disiicientur, atque a rima longius amandabuntur. Quid autem ab illapsis pati posset Pulmo? Vel in eo detinerentur, vel sanguinem intrarent. Si sanguinem ingrederentur, omnis noxa Pulmoni ablata jam est, neque sanguini tam in pauca quantitate commixtæ detrimentum ullum afferent, ut nullum afferunt, dum ad aliquem tumorem emolliendum Mercuriale emplastrum metallo non admodum saturatum corpori apponitur. Si vero intra Pulmones detinerentur, quid inde? a corpore nullo stimulo donato, neque in alia decomposita solubili; eo præterea parvitatis redacto, ut pondere, quod ipsius vis unica est, vix aliquam impressionem facere queat, omnino nihil Pulmo patietur, neque fibrarum, quantumvis sensibilium, ut sunt Willisio te-

ſte (*a*) quæ internam Trachææ membranam conſtituunt, actio vitiabitur, quemadmodum apprime ſenſiles linguæ papillæ nihil omnino irritamenti a globulis Mercurialibus, vel grandioribus, perpetiuntur. Quod ſi etiam in ſatis magna quantitate Mercurius aſperam intraret arteriam; nullus dubito, quin tuſſi excitata, globoſum, læve, ponderoſum corpus ejiciendum non foret. Nihil ergo mali ab illapſu Mercurii in Pulmones timendum eſt.

XLIV. Deglutitus vero Mercurius in cæcum divertat. Primo videndum eſt, quid cæci inteſtini nomine intelligatur. Si enim cæci nomine, ut aliquibus placuit, appendicula vermiformis veniat; ob ſitum, quem erectum hæc obtinet, illam ſubire minime quibit Mercurius. Sin pro cæco inteſtino intelligatur illa inteſtini Colon pars craſſior, & dilatata, ubi Ileum in craſsioris ſiniſtrum parietem deſinit, incipiens; ſi etiam ad illius fundum Mercurius diverteret, quo & fæculenta divertunt ſcybala, ab inteſtini conſtrictionibus ſurſum urgeretur, & per Colon flexus, quemadmodum facit, ad anum protruderetur. Sane haud eſt infimum ſignum vis muſculoſæ inteſtini colon aſcenſus ferme perpendicularis ab oſſe Ilii ad dexterum renem, Mercurii, Plumbi, aliorumque ponderan-

(*a*) Pharm. ration. P. 2. ſect. 1. c. 1.

rantium corporum. At subjecto in aliquo eum nacta sit situm vermiformis appendicula, ut in eam detur Mercurio transitus. Non inde tamen quidpiam mali evenire posse autumo. Statim enim ac insolitum pondus circa dexterum Ilium percipietur, ab exhibitione Mercurii cessandum, acriusque catharticum exhibendum, ut terna Colon ligamenta a stimulis cathartici perculsa, & exagitata, appendiculam quoque vermiformem, in quam desinunt, & nostro Morgagnio (a) dimoveant, crispent, atque succutiant, ut Mercurium in illam illapsum denuo in cæcum veterum revomat. Quod si hæc medela non responderit, non ideo tamen quidpiam gravius timendum est. Non enim pondus unciale, aut semunciale illud est, quod appendiculam laceret. Quin cum Coria, neque admodum crassa, in quibus ad bursæ modum consutis, Slavi Idriæ accolæ Mercurium ad libras ferunt, a Mercurii pondere non lacerentur; multo minus id viventibus membranis continget, quæ vitæ instructæ lacerationi magis resistunt. Quid inde sequetur igitur? Vel, ut Mercurius in sanguinem paulatim transcoletur, vel ut ibi placide quiescat, non secus ac plumbei globuli in internis corporis ad annos latitant absque ullo malæ siderationis effectu. In sanguinem autem transcolatus

[a] Adverf. 3. animad. 14.

colatus salivationem cieret ; quæ tametsi quandoque non parum incommodi afferat , a pauca Mercurii quantitate excitata , malum non adeo metuendum est . En igitur , quod si vel Idealia , & mere possibilia examinentur , & contingant , non ideo tamen aut mors , aut graviores morbi a Mercurio inducerentur .

XLV. At quispiam reponet , memet mihi fucum fecisse , dum putans hanc meam Disquisitionem e difficultatibus emmersam , circa Ideales noxas , quas inducere posset Mercurius divagatus sum ; interim nondum veris difficultatibus , quæ a malis effectibus Mercurialium effluviorum exoriuntur , fecerim satis . Si etenim sola Mercurialia effluvia tot , tantosque morbos inducunt , quid quæso non faciet malignum hoc metallum per os ad dies plures , atque in non exigua quantitate sumptum ? Duo hominum genera circa Mercurium laborantium , læsiones ab aura Mercuriali capere possunt : qui Mercurium , nempe , effodiunt , quique , eo in decurandis corporibus cæteris , utuntur . Morbi , quibus deauratores plectuntur , dubio procul nascuntur ab argenti vivi vaporibus . Cum enim amalgama ex auro , & Mercurio corpore inaurando superdederint ; vi ignis corpus amalgamate obductum obiiciunt , utque in fumum , & auras evolet Mercurius ,

effi.

efficiunt. Notandum etiam, quod quædam corpora deauranda prius aqua forti obliniunt. Nisi igitur a dictis Mercurialibus fumis sibi cautè caverint, morbos inferius adnotandos, quam facile contrahunt. An vero Mercurialis aura fossoribus ita labores infligat, ut morbi, quibus plectuntur in hanc solummodo, & specifice referendi sint, dubitationi locus esse potest. Metallicas fodinas, qualecumque metallum, ex iis effodiatur, malorum atrocitate vel teterrima ergastula quam maximè superare, ex eo notum esse potest; quod Romani profligatissimos homines, quorum censui plures e nostris Martyribus adscripsere, ad metalla damnarent. Nolim inficiari ex variis metallorum diversorum effluviis, varios, diversique generis morbos posse exoriri. Si tamen, qui ab impuro subterraneo aere, atque ab aquis in fodinis restitantibus, & corruptis oriuntur, metallicis omnibus sunt comunes. Vel in auri fodinis (metalli nempe saluberrimi, si Chymicis fides habenda est, qui auro potabili, ejusque tinctura inculpatam longævitatem credulis spondere audent) metallici cachectici evadunt, de quibus ita Statius (*a*) ad Junium Dalmaticarum aurifodinarum Præfectum:

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes, ubi Dite viso

cum.

[*b*] Epid. 4. tex. 13.

pallidus fossor redit, erutoque
concolor auro.

Hippocrates quoque talem metallurgum describit (*a*) nulla de metallo, circa quod laborare consueverat, facta mentione: *Vir metallicus, præcordium dextrum intentum, splen magnus, alvus intenta, subdura, spirituosus, decolor*. Morbos quoque Pulmonum quibuscumque metallurgis comunes esse, e Schenchio (*b*) discere possumus, qui ait hujusmodi artifices a Pulmonum morbis potissimum interire, nulla de metallorum diversitate mentione habita. Quos inter affectus est, quem Paracelsus vocavit *Die Berscuht*, in quo Sennerto etiam teste, Pulmones exiccantur (*c*). Idem Famigeratissimus Practicus tradidit, sibi relatum ab experto medico, qui diu Tribergæ (Misniæ Civitas est in circulo Erægeburgico, qui Districtum metalliferum vocatur) Medicinam fecit, in metallicorum pulmonibus ea metalla reperta, circa quæ laborare consueverunt. Si itaque descripta hæc mala Mercurii quoque fossoribus contingant; hæc certe in malignam, seu deleteriam vim Mercurialis auræ referenda non sunt. Aliter, nedum cætera metalla, sed frumentum quoque, & reliquæ segetes qualitate

te

[*a*] 4. Sylv. 7.
(*b*) Apud Bonet. in Sepulc. T. 1. l. 2. sect. 1. observ. 45.
(*c*) Ibid.

te maligna imbutæ essent, quia ii, qui eas everunt, ac cribrant, suspiriosi, tussiculosi, raucique non raro evadunt. Quibuscumque extraneum corpus, licet per se maxime insons, si Pulmones cum aere subeat, eorum actionem impediet, indeque a læsis Pulmonibus, respiratio neque vitiata, ac sanguinis confectione, quæ Pulmonum opus est, cujuscumque generis morbi, sive acuti, sive chronici, poterunt exoriri. Non igitur ex hisce metallicorum Mercurialium morbis argui potest ullam malam qualitatem inesse Mercurio, quia morbos hosce cum cæteris metallurgis comunes habent, nascunturque magnam partem ab aere non perflato, corrupto, & putrido; vel a vaporibus quidem Mercurialibus, qui tamen eos non lædunt, neque respirationem impediunt, quia Mercuriales sunt, sed quia subeunt Pulmones, quæ læsio ab quolibet insonti corpore contingere potest. Nulla igitur noxia, aut deleteria qualitas ab hisce morbis in Mercurio elucet, nullumque discrimen subit, qui eo per os utitur. Hic tamen subdendum est, Bellostum tradidisse, non paucos e Mercurialibus metallurgis per totum vitæ tempus circa vivum metallum laborare consuesse, absque ulla noxa. Quod si verum est, qua de re me vadem minime constituo, dicendum ab aura Mercuriali, aerem subterraneum morbosum corrigi, & salubrem reddi.

XLVI.

XLVI. At fossores una cum inauratoribus iis morbis laborent, quos secundis aura Mercurialis solummodo afflat, vertigine, nempe, Paralysi, spasmis, tremoribus, oris ulceribus, dentium casu. An ideo nervis inimicus specifice censendus Mercurius, iisque, qui eo crudo usuri sunt in nervorum morbos incidendi discrimen subibunt? Qui ita philosophantur, ratiocinio mihi videntur potius abuti, quam uti. Talis enim est eorum argumentatio: A Mercurio, quandoque nervi male habent: ergo Mercurius nervis est inimicus. Quod argumentandi genus si valet, valebit itidem hoc: A sulphure Pulmones quandoque male afficiuntur: ergo sulphur Pulmonum hostis est. Itidem: Qui inebriantur, non raro debiliores fiunt: ergo vinum spiritibus adversatur. At, quis nescit sulphur laborantibus Pulmonibus ita non raro prodesse, ut Pulmonum Balsamum audiat; vinoque spiritus alacriores fieri, hominemque robustiorem reddi; unde Plinius (*a*) *Vino aluntur vires sanguis, colosque hominum?* Et Plinio multo senior Homerus ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει (*b*). Ut ostendant Mercurium nervis specifice inimicum esse, ostendere debent ab eo quoquomodo intra nos delato, nisi semper (quæ constantia in rebus

[*a*] H. N. 23. c. 1.
[*b*] Iliad. 6.

rebus physicis desideratur) ut plurimum nervosum genus male habere. At tantum aberit, ut inductio id illis ostendat; quin per hanc contrarium docebuntur, invenientque obstructis, compressis, maleque affectis nervis sæpissime Mercurium opem tulisse. Age igitur, Logicis relictis sermocinationibus, rem, forte non omnibus notam, quomodo physice se habeat, demonstremus.

XLVII. Tametsi volatilissimum corpus non sit Mercurius, neque igni, facilime obbediat; nihilominus ab hoc violentissimo agente impulsus, tandem in auras evolat. Particulæ, quæ abscedunt, ob summam suam divisibilitatem, eò exilitatis, tenuitatisque devenerunt, ut fumo, auraque subtiliores, nedum omnino visum effugiant; sed per aera, & per aere subtilius æther ferantur. Itaque, nedum cum aere haurientur, gastricisque liquidis nostris immiscebuntur; sed per cutis poros (quod aeri minime datum est) corporis nostri interiora subibunt, ut patet in Mercurialibus suffumigiis. Per nares itaque, os, oculos, aures, cutimque capitis universam in caput delatæ, immediate nervosis fasciculis impingent, eos penetrabunt, sejungent eorum fibrillas ad invicem, divellent, tonum eorum destruent. En ergo systema nervosum debilius redditum. Cum vero cruor per membranas nerveos colligantes fasciculos, per-

perque vaſcula intra faſciculos repentia lentiſſimo feratur motu; dictas Mercuriales particulas minime diſſociatas ita conſervare poterit, ut ſe ſe invicem non attrahant, in majoreſque maſſulas coagmententur. Quod cum factum fuerit, obſtruent, prement, motui ſanguinis reſiſtent, eoſque producent effectus (neque enim neceſſe duco eos ulteriore Æthiologia perſequi) qui ſub nomine vertiginis, paralyſis, convulſionum, tremorum veniunt. Oris vero ulcera, dentiumque caſum, ob rationem eam promovebunt, ob quam ea promovent in hydrargiroſi; quia nempe, ſaliva copioſior, atque corrupta gingivas laxat, tubuloſque ſalivales corrumpit. Neque, quamvis a preſſione, pondereque Mercurii nervi liberentur, ac quoquomodo ab iis abripiatur, affectus morboſi tollentur omnino; quia ea eſt nervorum ſtructura, ut cum diu laceſsiti, compreſsique fuerint, talem ineluibilem noxam contrahant, ut quamvis actualis vis, quæ eos male afficiebat, dematur, & ab agendo ceſſet; nihilominus priſtinum ſuum tonum, energiamque nunquam recuperent. Experimentum Valſalvæ Clariſ. apud noſtrum Morgagnium id probat. Cum Celebris iſte Proſector (*a*) cani cordis nervos filo conſtrinxiſſet; paucos poſt a colligatione dies canis obiit, licet a colligatione nihil ſenſibilis vitii nervi contraxerint.

XLVIII.

[*a*] Adverſ. 6. 84.

XLVIII. Nunc quis non videt gastricum nostrum calorem illum non esse, qui corpus non volatile, quodque violentiori igni non sine constantiæ nota resistit, possit in sublime elevare, atque ita extenuare, ut sub specie auræ subtilissimæ insensibilisque vaporis, nedum in sanguinem commigret, sed membranas, tunicasque pervadat, nervosque transadigat? Quod cum non fiat, metus, ne systema nervosum ab assumpto currente Mercurio male afficiatur, omnino evanescit. Difficilimos igitur, nec raro lethales contrahant morbos Mercurii fossores, atque inauratores: iis obnoxii non erunt, qui ore Mercurium summunt; quia primis in casibus Mercurius ab igne subterraneo (de fossoribus loquendo) seu nostrate, in sublime vehitur, aptusque redditur, ad membranas, nervosque penetrandos: in casu nostro illi Stomachum ingresso dicta ad penetrandum evolandumque aptitudo non comunicatur.

XLIX. Hinc colligere licet, quod cum ægri salivationi committuntur, minus tuta res sit eam suffumigiis excitare, quia ita nimium extenuatus Mercurius, nimisque penetrans redditus in nervos immediate impingere potest, difficilimosque, nec raro lethales morbos inducere. Jure igitur huic methodo celebriores Practici non insistunt, eamque agyrtis, circulatoribus, Iatroliptisque relinquunt. Illud etiam inde fluit, quod Catharsis Mercurialis, salivatione quoquomodo

excitata, ſit tutior, quia cum in ſalivatoria methodo, & ſatis magna Mercurii quantitas ſanguinem ingrediatur, & diu cum ſanguine in orbem rapiatur; evenire poteſt, ut moleculæ Mercuriales ſummam nactæ exilitatem, atque in ea vaſcula ingreſſæ; ubi lentiſſimus ſanguinis motus eorum attractioni mutuæ reſiſtere nequit; in grandiores coeant maſſulas, eaque triſtia excitent, quæ quandoque cum minus feliciter ſalivatio reſpondet, contingunt. Illud quoque ex dictis deduci poteſt, quod cum Mercurius in ſanguine, & vaſis diu reſtitans mala hæc parit; diſgregantibus, & ſudoriferis, ut Borrichius, Volckamerus; & Ramazzinus docuere, ſit eliciendus. Scio,hanc rem non paucis e Celebrioribus, mihique notis Practicis, eſſe ridicularem. Ajunt enim, eo quo Mercurius pervenit; cætera Medicamina pervenire non poſſe. At pace eorum dixiſſe liceat; opus minime eſt, ut dicta medicamina Mercurium contingant: ſatis eſt ſanguinis circuitum velociorem reddi, ut ab hoc diſiectæ, & diviſæ Mercuriales moleculæ illi denuo inſideant; atque per motum violentiorem abreptæ, in majora vaſa commigrent, quod a diſgregantibus præſtari poſſe; nemo, ut puto erit, qui ſit inficias iturus. Decoctum ad id præſtans commendavit Clariſ. Tozzi (*a*) ex radice Helenii, ac cortice; & radicibus fœniculi ſylveſtris: Joel, decoctum

ex

(*a*)

ex China, & Salsa: Borrichius ex Alexipharmacis, sed præcipue ex radice (a) Pimpinellæ, & Saxifragiæ: Volckamerus, Antimonium diaphoreticum (b). At nunc forte extra oleas divagor. Ut eo, unde digressus sum redeam; dicam quod si quis hic postremo scripta sociarit a me sub Dissertationis initio traditis, cumque ibi allatis historiis, & observationibus composuerit; eum sibi facile suasurum, neque venenatam ullam, neque noxiam qualitatem in Mercurio latere: absque ullo periculo tale metallum crudum per os sumi posse; nec raro utilissimos affectus ab illo expectandos fore. Sed nuperis Observationibus hæc omnia illustrentur.

L. Matrona, genere, moribus, virtute Nobilissima; tumore carcinomatoso mamillæ dexteræ affecta, diu vere proxime elapso crudum Mercurium sumpsit, nullusque malus effectus ab hujusce medicaminis usu sequutus est. Ita superis placuisset; ut votis respondisset Mercurius. Postea a multo tempore Bellosti pillulas sumpsit, sed, ut ab hisce nullum detrimentum, ita nullum levamen percepit.

LI. Hujusce matronæ Illustrissimus maritus, Podagra laborans, ut ipse paucos ante dies mihi testatus est, non sine eximio levamine, hydrargiro usus est.(*) Dd 2 LII.

(a) apud Bon. T. 2, M. S. l. 6. sect. 6. Observ. 31.
(b) apud Bon. T. 2. M. S. l. 6. sect. 6. Obs. 35.
(*) Altera Matrona, atque altera mulier carcinomate laborantes, inu iliter Bellosti pillulas, sumpsere.

LII. Nobilis Comes acrioris temperaturæ, hypochondriacus, & Podagricus, hoc anno 1735. longiore, eoque sævissimo Arthritidis Paroxismo, qui pedes, genua scapulas, humerum, cubitum, extremam manum vexavit, multatus est. Cum ægre tandem ab insultu evasisset, Augusto proxime elapso Mercurii crudi usum suasi. Toto Sextili, & primis Septembris diebus oppido calidis, unciam hydrargiri quotidie hausit, nedum sine ullo malo effectu, sed cum sensibili levamine. In hoc tamen, me judice, non stetit utilitas a Mercurio. Septembri inclinante, per plures dies spontanea lassitudine corripitur, ac doloribus, veluti Rheumaticis, dorsi, & capitis. Verebamur, ne dolorum Domina denuo accederet; sed febris tertiana, quæ facilime, & integrè per corticem Peruvianum expugnabatur, metum excussit. Rusticatum deinde abiit, levissimoque Podagræ insultu, biduò solummodo vexatus est. Nobilissimus vir, modo pedibus libere, & perfecta valetudine utitur.

LIII. Podagræ diathesim, in liquidi tenacitate, & acrimonia ab universis digestionibus vitiatis, cum vasculorum rigiditate, & angustia consistere, non sine plausibiliore ratiocinio, Magnus tradidit Batavus Boerhaavius. Sicuti igitur morbum hunc radicitus extirpare impossibile est, ob solidorum minimorum vitia; ita illum quoquomodo mitiorem reddere, haud per dificile est. Cum bo-

na

na hæmathosis ab optima chylificatione primo, & potissimum dependeat; illa, quæ chylificationi favent, sanguificationi quoque favere, certissimum est. Hac de causa peptica Sydenhamii Electuaria, Antiscorbutica, atque Amariora, ad hujus morbi prophilaxim per Practicos celebriores jure laudantur. Cum enim viscera sanguini cæterisque succis famulantia vitio aliquo infecta sint, tametsi munere suo nunquam brobè fungantur; nihilominus minus vitii in agendo præseferrent, si purior chylus illi accedat, quam si imperfecte elaboratus. Nobilis Podagrici solida, a Mercurio assumpto; haud equidem perfectiora evasere; sed cum per haustum Mercurium chylus elaboratior conficeretur; succi, qui cæteroquin ab impuriore chylo; vitio organorum accedente in Podagricam diathesim assurexissent, id mali solummodo pepere-re, quod motu Rheumaticorum dolorum, & tertianæ febris edomaretur ita, ut nisi levior, & ad breve tempus durans Paroxismus excitari posset. Quæ si ita se habuere, operæ prætium est, ut a Podagricis tale innocens, facilimumque remedium per quam familiariter excipiatur (*). Sed en histo-

[*] Adsunt Maj Kalendæ anni 1736, neque adhuc Podagra accessit, licet alii locorum vicinorum Podagrici laborarint, & quidem immaniter. Leviores quandoque sentit in artubus punctiones, & gravativum quemdam totius corporis sensum. Denuo sumpturus est hoc anno Mercurium. Notandum, quod vitam agit sedentariam.

riam, quæ quantum chylificationi famuletur Mercurius, ostendit, quæque, ut eam exactiore Epicrisi pensitet Medicus rationalis, meretur.

LIV. Uxor mea Dilectissima Theodora, Patre nata acrioris temperaturæ, atque ad iram proclivi, corpus, spiritumque sensibiliora, nacta est. Antequam mihi desponsaretur floridi temperamenti, & satis carnosa, acidaque, ac fructus horæos vel immaturos maxime appetens, ab animi pathemate asthma convulsivum contraxit. Qui illius curæ præfuit, non paucis remediis illam diu frustra exercuit, donec ex Consilio celebris Practici nostratis Pizzuti; tunc inter vivos degentis, haustibus olei amygdalini sæpius de die cochleatim ingestis, melius se habuit, & convaluit. Inde mihi nupsit, quatuorque annorum spatio quatuor liberos peperit; sed singulas graviditates oppido graves duxit, Stomachi præsertim assiduis doloribus, dejectoque appetitu lacessita; quapropter parum comedens, sanos quidem fœtus, sed debiles enixa est. Hoc quoque tempore leviore respirationis difficultate haud raro vexata, quæ tamen, vel ex se, vel spiritu Melissæ hausto, solvebatur. Postremis tertiæ gestationis mensibus contigit, ut auris dexteræ foramen, cui inaures appenduntur, sanguinem stillare inciperet: qui affectus cum per plures menses cuicumque adhibito auxilio obstinate re-

stiti-

ſtitiſſet, vetus foramen, ut ſponte clauderetur ſive, ignitaque acu novum excitavi, ſed fruſtra; ſtillicidium enim ſanguinis, vel ad leviorem attactum præſto ſemper erat. Antequam ultima vice uterum geſtaret, major natu puerulus, quem unice adamabat, obiit, dieque, quo ad ſepulchrum deportabatur, graviore lypothimia correpta eſt, quæ repetitis ſolvebatur tremoribus, iis ſimilibus, qui in expulſione extremarum lotii guttarum, quandoque contingunt. Gravida deinde quarta vice fit: hac verò geſtatione, proh: quantum incommode ſe geſſit. Parciſſime edit: bis tertiana febri correpta eſt: creberrimis ſpirituum anomaliis: tremoribus: ventris, Stomachique doloribus maxime exercita. Quin novus convulſorius dolor in muſculo bicipiti brachii dextri acceſſit, non raro acerbiſsimè affligens. Quartum filiolum enixa, ab hæmorroidibus laborare cæpit, quæ poſtea inſtantibus menſibus dolere conſuerunt. Inde tenujor facta: appetitus ſemper dejectus, ſiticuloſa: vertiginibus, lypothimiis levioribus, tremoribuſque ante deſcriptis frequenter exercita, a formidoloſis inſomniis fere ſingulis noctibus terrebatur: de die quoque dum Spirituum ataxiæ ſuccederent, ſpectra, immagineſque videbat. Floridus poſtea faciei color deperditus, nitorque cutis commaculatus: extremi pedes levi ædemate turgiduli: ructuoſuſque

ſingultus à paſtu; dorſi, ventris, diaphragmatis dolorem inferens, reſpirationemque intercipiens. Tot ſymptomatum agmen poſtidea cum meo maximo dolore clauſere gingivæ dolentes: mane ſaliva haud raro ſalſior; ac laxa excreſcentia ad angulum internum maxillarum a parte ſiniſtra exorta, quæ ſpiritu vitrioli tacta, in ulcuſculum degeneravit.

LV. Contra hanc morborum Iliadem, menſe Majo proximè elapſo, prius ad aliquot dies Magneſiam albam, deinde, non ſine euphoria Stomachicum Quercetani pulverem ſumpſit: Sed cum majora, & plura efflagitare morbus mihi videretur, quibus tamen non ſine remediorum farragine, & thædio a quibus abhorrebat mulier, ſatisfieri poſſet, putavi unum pro cunctis ſufficere poſſe Mercurium, cujus unciæ ſemiſſem mane nullo ſociatam remedio ſumere cæpit. Tribus primis vicibus, ſtatim ac illum deglutierat, convulſiva tuſsi, cum reſpirationis difficultate corripiebatur, quæ ab hauſtu ſpiritus Meliſſæ, quieſcebat. Paucos poſt dies appetitus evehebatur: ſpirituum ataxiæ e conſpectu ſe proripuerunt; cutis candor denuo nitidior redditus; ſomniorumque terriculamenta evanuere. Cùm die Junii 23. pervigilium eſſet Divi Joannis, quod prope ſequerentur dies Veneris, & Sabathi, quibus a carnibus abſtinere voluit (diebus piſcicu-

culosis potissimum male habebat); non satis commode se gessit, pondusque gravius in imum abdominis persensit, quod exeunte ex se Mercurio, evanuit. Accessere postidea menses, quos leviores antecesserunt hæmorroides.

LVI. Cum ad mensium fluxum, tubercula ad scapulas illi solerent erumpere; hac vice floridæ papulæ, quas *Esreras* vocamus in coxis, & ad musculos potissimum coxæ trigeminos, exortæ sunt. Hoc tempore contigit, ut cum sociis animi causa collem ascenderet, impensiusque calesceret, utque in novum migraret cubiculum, quod aeri nocturno, non usquequoque præclusum erat. Inde menses, qui per aliquot adhuc dies fluere debebant, intercepti, papulæ majores, & crebriores; quæ tandem febri in consortium adscita, facie, pectore, & ventre exceptis, totum corpus occuparunt. Tunc a Mercurio abstinuimus, Stybiumque Diaphoreticum cum Nitro, oculisque Cancrorum in jure ex Malva, & cichorea, propinavimus. Sexto, aut septimo die a quo lecto committebatur, alvus flava, & biliosa cum euphoria fudit, quem Naturæ motum, ut adjuvaremus sal anglicum exhibuimus, a quo febris abiit, papulæ disparuere.

LVII. Papulis e conspectu se proripientibus, hæmorroides plurimum doluere; silentibusque postmodum hæmorroidibus, gingivæ do-

dolore afficiebantur, & ſanguinem ſtillarunt. Contra gingivarum affectum, fruſtra adhibita ablutio ex decocto ſalviæ, radicum Tormentillæ, & florum roſarum ex nigro vino auſtero. Poſt aliquot dies, quibus febri, & papulis caruerat, efflorescentia purpurea, aſpera, miliaris, pruriginoſa cum febricula erupit: Tempeſtas tunc fuit calidior. Brachii, pediſque venæ tunduntur, ſanguiſque, durior quidem, ſed ſine coagulo apparuit. Poſtea, manus, facieſque ad ſeptimum uſque diem intumuere, hac vice ut tumente facie, manus detumeſcerent. Hoc tempore frequentes hauſtus ſeri cum Nitro, & ſale prunellæ ſumpſit. Cuticula deſquamata decidebat: Nona die fuit ſine febri.

LVIII. Inde prope anum excitata bina doloroſa tubeſcula, quæ fiſtulæ metum incuſſerunt. Hiſce appoſitum linimentum ex S. V. & Laudano Sydenhamii, ſed fruſtra. Ex pulticula ex lacte, mica panis, malva contuſa, & ſucco malvæ, atque ex illinitione olei roſati completi, quo ante admotionem pulticulæ inungebantur, ſaniem fuderunt, & perfectiſſimè nullo ulcere inſequuto, ad ſanitatem perducta ſunt. Tunc circa ductum Stenonianum dexteræ maxillæ, ea parte, qua auris ſanguinem ſtillare ſolebat, ulcuſcula excitabantur, gingivæque inferiores dolebant. Hoc linimento ad ſanitatem feliciſſime perducta ſunt.

♃ *Mell.*

℞ *Mell. rosat.* ℥ ſ.
Lapid. calamin. ℈ j
Spirit. Sal. gutt. x.
M.

Per paucos deinde dies vaccino lacte uſa, a quo abſtinuit, cum primum alvus ſoluta, ſana facta eſt. Dum hæc ſcribo, ter menſes acceſſere, nedum ſine previis hæmorrhoidibus, ſcapularumque tuberculis, ſed abſque ventris doloribus, qui alias fluxum præcedere ſolebant. Carnes reſarciit: viribus pollet: egregie comedit: verbo, optima mulier feliciorque Marito digna, ſui juris omnino facta pancratice valet, eaque utitur valetudine, qua illi per anteactum vitæ tempus, nunquam frui datum fuit (*)

LIX. Morbi hiſtoria exarata, nunc examinandum occurrit, an Mercurio adſcribendus ſit morbus acutus, a quo mulier cum recidiva decubuit & reliqua ſymptomata, a quibus male habuit. Qua de re, ut rite judicium feratur, morbus, morbique antecedentia examinanda ſunt. Cuique ex hiſtoria patere poteſt, hujuſce ægritudinis ſemina in muliere delituiſſe. Cum enim, vel a geneſi acriorem ſanguinem nacta eſſet, cujus, ſive aciditas, ſive acri-

(*) Indè concepit, feliciterque, ſeptimum jam ingreſſa imprægnationis menſem, contra ac illi ſuperioribus geſtationibus contigit, uterum gerit; ſatis benè comedit; uteruſque qui parum tumeſcere ſolebat in juſtam molem excreſcit.

acrimonia; de quibus non pugno; & ob victus errata, & ob spirituosa remedia, ad majorem gradum evecta fuit: quin; cum ob incommodas graviditates, & crebras parturitiones, glutine balsamico orbato sanguine, a quo salium spicula obliniebantur, succorum acrimonia usque increverit; potuit hujusce indolis cruor, & spirituum ataxias, motusque spasmodicos ciere, & ex aure stillare; & per acriorem salivam gingivas dolore mulctare, eorumque laxam excrescentiam causari. Quæ imminentis Scorbuti signa, haud ædepol fuere effectus assumpti Mercurii, cum illius usum precesserint. Suppressis deinde a causa manifesta mensibus, purpurea febris accessit, quæ non ita rarus, vel difficilis explicatu affectus est, ut in subjecto sanguine acriore scatente evenire non possit; nisi hydrargiri vis accedat. An ne res oppido rara est a mensibus suppressis rariores difficilioresque morbos obvenire, eosque, qui in temperamento præjacta semina non habuerint? Quid vero, cum ii obveniunt, qui temperamento quam maxime congruunt? Quod vero per mensium fluxus sanguinis acores ad cutim mea in uxore protruderentur, tubercula, quæ ad scapulas ad mensium fluorem erumpebant, argumento esse poterant. Sanguis itaque acer a solito fluxu impeditus, atque in venas refluus, purpuram, febrimque indu-

xit; quæ cum non rite per alvi fluxum solveretur (genuina enim horum morborum solutio est cuticulæ desquamatio) recruduit; manuum, facicique tumorem excitavit; male gingivas affecit; hæmorroidum dolorem induxit; tandemque ad anum decubuit. Quod si rarum, mirandumque est, mirandum quoque erit abscessus morbis acutis succedere, iisque judicationem afferre. (*)

LX. At oris ulcera, reponet quispiam, nonne sunt effectus assumpti Mercurii? Cum os male affectum fuerit, apparuerintque Scorbuti signa ante assumptum Mercurium, non video, quid causæ sit, cur eadem exorientia post assumptum Mercurium, potius in hujusce remedii usum, quam in morbi naturam sint refundenda, præsertim, cum secum copiosiorem salivam, assumpti Mercurii effectum secum non traxerint. Cum igitur quæcumque passa est uxor mea, in ejus temperiem, causasque suo sanguini inhærentes refundenda optima cum ratione sint; eas in usum Mercurii tamquam in causam, seu effectricem, seu materialem, referre velle, idem esset,

(*) Postquam per duos annos bene se habuit, filiolumque, quem grandiorem, habitioremque peperit, feliciter gestavit; postremo ab imminutis mensibus, papullis, seu esseris iisdem, nullo Mercurio adhibito, correpta est.

ſet, ac Practicum κριτήριον a Praxi excluderes

LXI. Quoniam tamen ex iis ipſe non ſum, qui, non pro rei veritate, ſed ad tuendum poſitum, ac ſi pro aris, & focis pugnarent; diſputant; proferam ſincere, quæ ſentio. Vires medicaminum, haud abſolutę, ſed relativæ ſunt, ſuaſque operationes exerunt, pro ſubjecti, in quod agunt diſpoſitione. Memini me quandoque alvum ſolutam vidiſſe a bolo ex Theriaca, & Diaſcordio confectis. Vis crudi Mercurii ea eſt, me judice, quæ chyli elaborationi, ſuccorumque gaſtricorum depurationi famuletur. An non fieri potuit; ut ab hiſce purioribus ſuccis in ſanguinem ingreſſis, ejus motus velocior evaderet, acores exaltarentur; papulæ erumperent; ac crabrones, ut dicitur, excitarentur? Quicumque hæc obiiceret, me forte illi adverſantem minime haberet. Reponam tamen; non ideo, vel infidum, vel deleterium Medicamen cenſendum eſſe Mercurium, ita enim medicamina quæcumque comparata ſunt, ut magno Hippocrate docente, ad aliquid omnia bona; & mala ſunt (a). Sed quid dico Medicamina? Res omnes *non naturales* hanc promerentur cenſuram: *& quæ ſunt vitæ, ſunt quoque cauſa necis*. Non minus quam Mercurium cauſari poſſumus optimi ſucci cibos, quibus mulier uſa, per quos & ſolida robo-

rata

(a) De aliment. tex. 10.

rata, & ſanguis moleculis impetum facientibus exſaturatus. At crabrones irritet Mercurius, dum irritatos occidat ne impoſterum lædant. Ita cathartica, atque Emetica, quin inter hæc, leniſſima, quandoque antequam Stomachum, atque inteſtina detergant, plurima incommoda afferunt. Mulier mea; nunc optime valet: Si valet a Mercurio, nedum, inſons, ſed utilis eſt Mercurius, neque debita laude fraudandus. Sin a purpura per Mercurium excitata: non minus ac febris in exolutis, exoptabilis erit purpura, quæ paſſionem hypochondriacam, aut ſi maris, hyſthericam graviorem, incipientemque Scorbutum percuret. Si vero non eſt, cur de purpura accuſemus Mercurium, nihil iſte mali attulit: id vero boni præſtitit, quod ante purpuræ eruptionem gaſtricos, hypochondriacoſque morbos edomuerit.

LXII. Si conſimili Epicriſi examinarentur morbi, qui exorti poſt uſum Mercurii dicuntur, nullusdubito, quin in ſons ſuffragiis Medicis declararetur Mercurius. At ſuſpicioni locus eſſe poteſt, ne plerique e Mercurii oſoribus, eum non vero ægris; ſed ſibi noxium putent; vereanturque, ne per Mercurium; ut qui Chryſopæis fidem præſtant; aurum exuflent. Quod ſi ita eſſe. Medici artificum Nobiliſſimi, & utiliſſimi, atque in humani generis commodum nati, ut ſalutis hu-

humanæ hostes ab virorum honestorum cætu atque ab Urbibus, ut olim per Romanos factum est, ejciendi forent. Sed a pectoribus Phæbo sacratis tam malam Deus pestem avertat.

F I N I S.

P. S. Nobilissimus quidam Comes prope Sexagenarius, obæsioris temperaturæ, a multis annis, ditissimis Podagræ hereditariæ insultibus conflictatus, hoc anno 1736. in ipso Arthritidis vigore, eoque de more acerbissimo Bellosti pillulas sumpsit. Quid referam? Adeo mitis Podagra evasit, ut post paucas doses e lecto surgere posset, cathedræ insidere, satisque commode Tyrannidem morbi ferre. Hæc habeo ex relatu ejus Medici Hieronymi Nascimbeni viri integerrimi, atque inter nostrate Praxi Medica Clari.

Alter Generosus atrabiliaris temperaturæ, ac prope Gigas, 44. annos natus; licet assiduo & quidem Montano venatu ætatem exercuerit, adhucque exerceat, ab aliquot annis Podagra, non tamen crudeliore; ac Chiragra laborare cæpit. Anno elapso Bellosti pillulas sumpsit, neque adhuc postea Podagræ insultus persensit. Hec haberi paucos ante dies ex ejus ore, & testimonio ejusdem Nascimbeni laudati, cum ad consulendum pro Fratris hujusce Generosi morbo accerserer.

INDEX RERUM

Literæ Alphabeticæ Dissertationes, aut Observationes designant: numeri Latini Paragraphos Dissertationis, aut Observationis illius, cui nota Alphabetica præposita est.

A

C

D

Doses

E

F

Lan-

H

I

L

Libel-

M

Nar-

N

Obie-

O

P

Pil-

Q

Quæ

R

San-

S

Suf-

Gra-

Graviora, quæ malo fato irrepsere errata hic correcta damus; leviora, neque ea sane pauca, humanitati tuæ, lector benevole, corrigenda relinquimus. Scias insuper, Lector, per Operarum incuriam, in capite paginarum primæ dissertationis ommissam fuisse literam alphabeti A. qua, ommisso titulo ibi apposito, Dissertatio præsignanda erat, ut Indicibus responderet.

ERRATA	CORRIGE
P.2.l.12. Methodicis Medicis	Methodicis etiam Medicis
4.l.22. reservando	resserrando
6.l.24. Medicum Physicum	Medicum Fiscum
8. l. 3. & Medicum	& medium
9. l. 5. in cerebro	cerebro
11. l. 25. quod morbus	quod novus morbus
3. l. 28. Bollicis	Bellicis
36. l. 5. pulcis ab oro	pullis ab ovo
42. l. 3. opus esset	opus ad Hygienem esset
61. l. 29. deruptis	demptis
65. l. 28 ex Mastiche	& Mastiche
67. l. 13. Quatuor duorum	Quatuor meorum
73. l. 15. fætens, quod	fætens detrusit, quod
78. l. 17. cum ructu	cum metu
89 l. 2. vincleati minsmatis	venenati miasmatis
ibidem l. 16. Si igitur viam	Si igitur aliam viam
90. l. 12. inflammationis	inflammatorios
ibidem l. 27. plura	Pleura
92. l. 4. inservatur	inseruntur
97. l. 25. absonum apprime	absonum, sed apprime

P. 104.

P. 104. l. 18. gamelus	garrulus
113. l. 19. ʒ j. ſ.... ß ʒj	℥ j. ſ..... ß ℥j
114. l. 25. ℥ an ʒ. ſ.	an ℥. ſ.
115. l. 30. in carum	in cavum
129. l. 6. oxicroc. ℥. ſ.	oxicroc. ℔. ſ.
ibid. ℥ an. ℔ r	an ß r
131. l. 8. ut quæ	ut ſuæ
ibid. l. 17. Itaque ad	Itaque rem ad
180. l. 8. inflammatoriam, quam	inflammatoriam cruſtam quam
184. l. 19. Sogos	Logos
197. l. 22. examere	exaruere
198. l. 15. ruinis	nimis
200. l. 14. non latens	non lateris
206. l. 9. via noctu	cui noctu
208. l. 27. inſpiratio	inſperato
213. l. 12. ʒ j	℥ j
ibid. l. 20. Clarhs	Clariſ.
ibid. l. 21. Naſcimbem	Naſcimbeni
215. l. 2. θγριωδης	θηριωδης
ibid. l. 12. minime conducibilem	maximè conducibilem
218. l. 7. avuum	artuum
219. l. 18. Mercurii Scamon.	Mercurii dulc. Scamon.
227. l. 14. dicitur non tetigerit	dicitur acu non tetigerit
228. l. 29. liquida per ſalivationem coacta	liquida coacta.
233. l. 13. libræ minſem	libræ ſemiſſem
235. l. 4. ſalivationem	perſpirationem
239. l. 10. tranſpirat	tranſpirationẽ perturbat
251. l. 11. ʒ j.	℥ j
261. l. 11. criſpati	criſpatio
265. l. 12. minus	nimis
ibid. l. 13. defluit	difluit
266. l. 4. primam	animam

P. 270. l. 26. disseminant	discriminant
ibid. l. 27. exortam	exortus
281. l. 10. conorumque	coriorumque
308. l. 12. in veniade	in Oeniade
311. l. 24. Trium Pleuritidem	Trium Pleuritidum curationem prosequitur lib. 2. de morbis à 40. ad 42. textum, nulla de vena secta facta mentione. Textu 22. l. 3. ait Pleuritidem &c.
320. l. 19 Quando	quandoque
332. l. 15. in facie	in faciem
334. l. 16. ne cesses	ne cessa
335. l. 13. si accipiant	si cuipiam
341. l. 3. multo	nullo
ibid. l. 20. An ex hac	An ea hæc
344. l. 7. traduxerunt	traduxerant
ibid. l. 8. temere	tenuere
345. l. 9. affert	effectu
346. (a) de Cicut. aquatic.	de lue Venerea
347. l. 18. Venenum, nedum	Venenum Venereum, nedum
358. l. 17. Contrato	commixto
362. l. 7. asservi Nobilissimus	asserui postquam
364. l. 23. Scio	Sic
3[illegible]. l. 27. citicis	citius
373. l. 9. offercolla	osteocolla
ibid. l. 11. Senitide	Selenitide
385. l. 28. vero[illegible]	Auro
40[illegible]. l. 14. verique	aerique
409. l. 23. quæ vitæ	quæ vi vitæ
412. l. 18 Tribergæ	Fribergæ
ibid. l. 19. Erægeburgico	Erzgeburgico

34